ΠΑCCIN ЄΥ
ΦΡΟΝΟΥCΙ
CIMMAXЄΙ
ΤΥΧΗ.

NVL SANS SOVCY
DE BRY.

III. PARS
ANTIQVITATVM
SEV
INSCRIPTIONVM
& Epitaphiorum quæ in ſaxi
& marmoribus Romanis videntur
cum ſuis ſignis & imaginibus
exacta deſcriptio,
auctore
IANO IACOBO BOISSARDO VESVTINO
Omnia elegantiſsimis figuris in ære
inciſis illustrata,
per
THEODORVM DE BRY LEODIENSEM,
Civem Francfordien. A°. M.D.XCVII.

Universitätsbibliothek Johann Christian Senckenberg

Camdens

IN EFFIGIEM
IANI IACOBI BOISSARDI VESVN-
TINI, PETRVS LEPIDVS METENSIS, REGIO-
rum negotiorum ſummus Procurator apud Media-
matrices, Virdunenſes, & Tullianos.

HOſpes, qui vagus in ſcientiarum
Hortis expatiaris, vt Mineruæ
Doctas ingenium excolas per artes;
Quem tu conſpicis heic breui tabella

Expreſſum Bryii arte penicilli,
Ille eſt Sequanici ad Dubis fluenta
Boiſſardo genitus parente vates,
Phœbō & Caſtalijs Deis amatus.
Ille eſt qui facili ſtylo & colore
Vrbes OEnotriæ, & ſitus locorum,
Portus, valla, pharos, lacus, cauernas,
Montes & fluuios ſcaturientes,
Diuerſosq; habitus manu erudita
Deſcripſit, ſtatuasque, imaginesque,
Et priſci monumenta cuncta ſæcli,
Impenſisque laboribusque magnis,
Publicam vtilitatem vt adiuuaret,
Soler edidit artifex, typisque
Æuiterni operis Theodorici
Libro hoc propoſuit tibi intuenda.
Tu de te meritis bene has repende
Grates, vt ſtudium vtriuſque vultu
Sereno excipias, probesque. Virtus
Illorum expedit vnicum hoc, nec vltra.

IN EFFI-

Free copy for study purposes only - The Warburg Institute Digital Collection

IN EFFIGIEM
THEODORI DE BRY LEODIEN.
SCVLPTORIS PRÆSTAN-
tissimi.

TEVC. ANNÆI PRIVATI C.

Si prior est ætas mirata, toreumata cœli
PHIDIACI, *doctasque manus celebresque labores*
ZEVXIDIS, *aut si quos dederit diuinus* APELLES.
Ecquid erit nostris sua gratia cassa Magistris!
Quos nec ab ingenio, seclum hoc, nec ab arte minores
Protulit, aut labor ad meritos euexit honores.
Aspice quam præsens THEODORI *industria multos*
Exuperet, palmamq; vsu præuertat & arte;

Dum Podagræ *nodis tophisq; innexus inultæ*
Tot monumenta parat magnum celebranda per orbem,
Iamq; senex plane, sibi tot vernantibus ausis
Immortale facit nomen, seq; abdicat vmbris.
Ille & *inaccessas Nabathæa per æquora gentes,*
Atque alio penitus terras sub sole iacentes
Expressit scalpro, moresue habitusque DEOSQVE.
Informes, nudas gentes & prælia cruda,
Arte noua effinxit, signisque inscripsit ahenis.
Ille Getasque Scythasque *truces; Regesq; Ducesque*
Pannonios, *structasq; acies & sceptra* RODVLPHI
Cæsaris, *Austrasiæque Duces, magnosque penates*
Magnifico insculpsit operi insignique labori.
Ille tot aratis Emblemata *publice signis*
Protulit, ingenuos formans in imagine mores,
Erudiensq; animos descriptis ære figuris.
Iamque recens adeo, quo non præclarius vllum
Extat opus, studio nocturno, operaque diurna
Confectum, artificisque impensa & sumptibus amplis
Exactum, quo se ter maxima ROMA *stupendam*
Exhibet, atque nouis iterum Natalibus exit.
Nec sese formis septem pulcherrima ROMA
Iactarit, quantum monumentis vndiq; priscis
Fulserit, antiquis passim celebrata Colossis,
Thermis, magnificis Regionibus, Amphitheatris.
Omnia quæ medios inter nunc publica soles
Edita, & artificem THEODORVM *sculpta fatentur.*
At tibi digna tuo quænam Boissarde *labore*
Præmia Dii dederint merito? qui cuncta perita
Ipse manu præscripta notas & præcipis Autor.
Non tua lethæis mergetur fama sub vndis,
Orbis & Vrbis opus totus mirabitur istud,
Par quod amicorum Boissardus & *ille* Bryæus
In medium socio modo proposuere labore.
Ambo senes septem numerantes lustra senectæ,
Ambo nodosa distorti membra podagra.
Viuito sorte noua ter florentissima ROMA,
Cumque tuo felix operum Boissarde Bryæo,
Pro tantis meritis Superos sperate fauentes.
Pergite in Exemplum seros ornare Nepotes,
Nomen & æterna de posteritate mereri.
Ecquid in Exemplum laus hæc referenda probandum
Nimirum studii tantum, tantumque operarum
Decrepitos potuisse senes tolerare? quid obstat
Vt simili se laude ferant de more minores.
Hæc igitur præsens, quam cernis amice, tabella
Effigiem illius THEODORI *cominus offert:*
Tu grates illi pro exhausto solue labore,
Illius vtque opera quoque deinde fruare, senectam
Sculptori vegetam lætamq; precare benignus.
Tum si fata diem component sera supremum,
Vt mensis Diuum & iucundo Nectare viuat,
AEternumque ferat post vltima funera Nomen.

AD LE-

AD LECTOREM,

IANVS IACOBVS BOISSARDVS VESVNTINVS.

CVM nati non ſimus nobiſmetipſis, ſed patriæ, proximoq; & amicis, laude præcipua dignos exiſtimo, qui ſuam operam quantum ab iis fieri poteſt, impendunt & referunt ad utilitatem multorum, ſeſeque ita gerunt, vt poſt obitum aliquod teſtimonium relinquant, quo probari poſſit, illos ſocietati humanæ & commodo publico ſtuduiſſe. Quare dum viuimus, omnis noſtra cura debet in hoc verſari, ſemper ſi poſſumus, vti boni aliquid faciamus, & reipublicæ ſimus vtiles, proximoq; frugiferi. Nihil enim eſt tam tetrum, nihil tam aſpernandum, nihil homine indignius, ſiue iuuentutem, ſiue virilitatem attigerit, aut eius ad ſenium vergat ætas, quam otioſum & curis vacuum tempus impendere: bene mereri de multis laus eſt præſtantiſſima. Hæc cùm vera ſint, habebit poſteritas, quo Theodorum de Bry Leodienſem inter eos reponat, qui bono & vtilitati publicæ ſtuduerint: Qui ſi primo loco conſtitui nequeat, nulli certe ſecundus habebitur. Si diligenter conſideremus, quantis ſumptibus, quantis laboribus & vigiliis hactenus rempubl. literariam adiuuerit: quam tot excellentibus libris ornauerit & auxerit; ad hunc ſcopum referens omnes ſuos conatus, vt ſtudioſorum curæ inſeruiret, & iucunditatem delectationemque ſingularem vtilitati coniungeret. Nemo eſt qui non legerit Indicarum nauigationum hiſtorias, quas non ſolum emiſit in lucem eleganti narratione conſcriptas; ſed ſingula ſubiecerit oculis artificioſiſſimis picturis expreſſa, & tabulis aheneis ingenioſiſſime ſculptis omnem rerum geſtarum ordinem & ſeriem expreſſerit. Cumque ad prouectam iam deuenerit ætatem, ſeptuagenario non multo inferior, non patitur tamen ſenium infrugifero torpeſcere otio. Sed priſtinæ inſiſtens ſolertiæ & diligentiæ, aſſiduos dies occupat ſculpturæ. Ipſe verò ſenex ſit licet, chiragra podagraq; debilitatus, manuſq; ac digitos nodoſis tophis hebetatos habeat, animo tamen viuaci, & robur imbecillis corporis ſuperante, non deſinit ſumma arte, & expeditiſſima habilitate omnia cœlare & ſculpere: quo in exercitio plurimos etiam ætatis flore valentes videtur ſuperare. Romanarum enim Antiquitatum, & inſcriptionum libros ſuſcepit excudendos, quibus marmora antiqua cum ſignis, figuris, & forma ſua depinguntur. Totum hoc opus in quatuor tomos diuidit, vt compendioſius rem gerere poſſit, & ſumptibus conſulere, tam ſuis, quàm coementium: vt ſaltem eorum partem precio tolerabili obtineatis, qui

totum

totum nolit emere. Addetur Deo volente inſcriptionum his voluminibus antiquæ Romæ typus & deſcriptio, cum ſuis inſulis & regionibus: quales nobis expreſſit P. Victor, & Honufrius Panuinus: cui coniungetur hodiernæ vrbis Topographia ampliſſima, qua ſingula ſingulorum locorum tam publicorum quàm privatorum ornamenta, qualia nunc videntur, & quatridui ſpatio luſtrari poſſunt obiter ab ijs qui Romam proficiſcuntur. Ea ſi laudentur, & à benignis lectoribus æqua fronte ſuſcipiantur, ſubiiciemus locupletiſſimam Deorum genealogiam, & eorum ſimulachra; qualia ab antiquitate marmoribus expreſſa ſeruantur tam Romæ, quàm in aliis Italiæ vrbibus, quibus addentur ſingulorum vitæ, & origines: & ne quid in his lector deſideret, modum ſacrificandi, inſtrumenta ſacrificiorum, ſacerdotumque habitus exprimemus. Poſtremo ſuccedet inſcriptionū peregrinarum tomus vltimus: quo continebuntur aliquot Italiæ, Galliæ, & Germaniæ monumenta. Hæc tibi, Lector candide, ſi probabuntur, & cum fructu & delectatione excipientur, abunde ſatisfactum erit autori Boiſſardo & ſculptori de Bry: quorum ſtudia eo tendunt, vt omnibus prodeſſe poſſint & placere.

Vale.

ILLV-

Free copy for study purposes only. The Kress Digital Collections

ILLVSTRI AC GE-
NEROSO VIRO
HERMANNO A GHOER, BARONI DE PESCHE, DOMINO VILLARTII, ANDRI-montii, Brohainæ, &c. Domino suo colendissimo.

Janus Iacobus Boissardus Vesuntinus.

LAVDE præcipua digni semper judicati sunt, Heros generose, qui studia, conatusque suos omnes ad vtilitatem publicam contulerunt: Quoq; plus profectûs in eo quis fecit, hoc de omnib. optimè mereri dictus est. At cùm occupentur homines circa subjecta dissimilia, quicquid aggrediuntur, quo magis prosunt proximo, eo commendationem sibi conciliant luculentiorem. In hoc ordine reponi debent Theologi, Medici, Iurisconsulti, & juventutis institutores. Curam enim gerunt animæ, corporis, & bonorum. Secundum locum obtinent, qui honestæ delectationi inserviunt: vt Musici, Pictores, Architecti, & multi alij artifices, qui res necessarias ad conservationẽ vitæ hujus suis jnventis ornãt, & expoliunt. Hi omnes dici possunt membra conuenientia ciuitatis, & Reipublicæ benè constitutæ. Nec quisquá eorum sua laude frustrari debet: dum modo aliquid in publicum conferat, quod ad vsus cõcivium facere judicetur. At felix est is, cujus virtuti fortuna comes est Non enim omnibus idem successus est: neq; eodem applausu benè facere datur vnicuique. Cùm hoc malè auspicato sæculo nemo fere reperiatur, qui invidiæ morsus, & vellicationem vitare possit. Multi sunt (quorum malus est genius) qui aliena opera ita tractant, ut curiosè inquirãt quod reprehendi possit, morosam de minimis defectibus **censuram** ferentes: obiter autẽ prætereunt, dissimulanterque, quod est laudabile In eo doctrinam consistere putant, si argutê ostentent alienos nævos: suam autem maliciam ardeliones non

corrigant. Hic metus me hactenus impedivit, quo minus in publicum emitterem librum hunc; veritus non mediocriter Coryceorum istorum sannas; qui superfluos dicerẽt meos conatus, quod materiam jam pridem ab aliis locupletissime tractatam iterum assumerem, & crambem fastidientibus bis proponerem. Vicerunt tãdem meam formidinem frequentes amicorũ hortatus; qui precibus, & assidua instigatione compulerunt, ne tam diu isthæc supprimerem, quæ à plurimis cum fructu, benevolentia, & delectatione susciperentur. Atq; utinam tempestive eorum monitis me præstitissem audientem & morigerũ. Non amisissem magno dispendio, & insanabili dolore, quæ mihi perierunt. Cùm adhuc essem juvenis, suppeterentq; vires corporis, in primis mihi ea insedit cura, Academias celebriores invisere: ut familiari conuersatione cum doctoribus, judicium aliquod in re litteraria mihi adquirerem. Cumq; naturali semper desiderio flagrarem videndi regiones externas, è Germania me in Italiam cõtuli: in qua sexennio integro vixi, studiis bonarum literarum, artiumq; occupatus: & lustratione accuratissima tot præclararum urbium, quæ singulæ possent hominem multos annos detinere: Tam varia, tam admiranda prębent peregrinis inspicienda. Cumq; per calores æstatis, & hyemis frigora incommoda sit ubiq; profectio, summa diligentia illis anni tempestatibus excipiebam, quod observatione dignum esset. Ac ineunte vere, principioque autumni me in viam dabam, cum amicis earumdem rerum studiosis, sollertiq; indagatione præsentes disquirebamus, & scripto, picturaq; exprimebamus, quod nobis aliquando usui fore videbatur: accrescentibusq; nostris observationibus, augebatur & plura discendi cupiditas. Factum autem est ut Neapoli in Calabriam cum sociis itinerum profectus, moraremurq; diutiùs quàm par esset in locorum perlustratione, neq; comitatus ille equestris (quẽ caravannã vocãt, eiusq; præfectum Procaciũ) tunc esset nobis idoneus, neq; tutus nobis videretur reditus Neapolim, ob latrocinia frequẽtia, quæ plurimos paulo ante in discrimen vitæ adduxerãt: Consultũ omnib. visum est Hydrunto solvere, & traiicere in Corcyram; unde in Cephaleniam, Zacynthum, deinde in Peloponnesum venimus: trahente nos longius vidẽdi cupiditate, quã bono judicio. Ibi cũ in statione moraremur, audivimus ad propinquare Venetorũ triremes, quæ quotannis lopẽ viatores (quos peregrinos vocant) devehunt, & illic exponũt, ut Hierosolymas invisant: cũ quib. placuit Syriæ partẽ videre. Sed contigit ut Methonæ febri ardentissima correptus, à suscepta navigatione revocatus sim: relictusq; apud mercatores Venetos, qui in ea urbe negotiabantur. Vbi postquã convalui, veni in Honufrii Pallantii familiaritatẽ. Huius cõsilio me recepi in monasteriũ quod incolebat (erat enim monachis sancti Basilii præfectus,

quem

quem Protosyndulum vocant: fratresque illius ordinis Callogeri, vel Callogerótes dicuntur) Hic Honufrius, ut erat vir pietate, doctrina, ac singulari comitate præditus, tractauit me amice, detinuitq; menses fere quinq;, studiis meis adprimê delectatus: & quod videret me vacuas horas poesi, pictura, vel sculptura indesinenter impendere, indefatigabiliq; labore disquirere fragmenta & reliquias antiquitatis, inscriptiones marmorum, & numismata Principum Græcorum & Latinorum: quæ passim inveniuntur, quocunq; sese olim extendit Imperium Romanum. Boni hujus viri beneficio factum est, vt, licet cũ difficultate, pleraque loca maritima, & multarum urbium ruinas magna cum voluptate, & admiratione cõtemplarer. Quas calamo quàm potui artificiose conatus sum exprimere: sicut & Italiæ, aliarumq; regionum antea feceram, & postea feci. Non solum urbes, arces, cœnobia, portus, montes, lacus, fontes, speluncas, & aliorum locorum situs, de quib. historiæ mentionem aliquam faciunt: sed etiã breui narratione adnotaram origines, leges, mores, habituſq; populorũ, & quicquid animadversione dignum putabam. Hoc mihi cùm satis feliciter successisset, & à multis viris doctissimis cum laude non mediocri meũ studium exciperetur, sperabam fore, ut temporis successu tantos labores, tantisque sumptibus collectas obseruationes in publicum emitterem. Sed cùm multis annis præfuerim institutioni generosorum juvenum Francisci & Gedeonis filiorum illustris Herois Claudij Antonij à Vienna, Baronis Clervantij, Copetij, &c. quibus præceptor fui successive in Gallia, Germania, & Italia: Hæ me à proposito diverterũt occupationes, quominùs potuerim præstare, quod jam dudum mihi erat in animo. Postquam autem adolevissent, & cum pio parẽte infelicibus his bellis civilibus (quibus Gallia & Belgium flagrant, & funditus corruũt) magno bonorum omnium dolore pro patria vitam impendissent: Tantis Mecænatibus destitutus (licet eorum mater clarissima matrona Catharina Heuia, ex mariti mandato mihi liberalissimê providerit de omnibus necessariis) senex jam factus domum me recepi; ut reliquum vitæ spatium, quod mihi largitura est Dei benignitas, impendere tranſcriptione, & dispositione eorum, quæ sine ordine confuse servabantur meis scriniis. At at proh dolor, conatus consiliaq; mortalium irrita semper sunt, nisi divino favore fulciantur, & promoveantur. Contigit enim ut in ea devastatione, qua Montbelgardensis comitatus, incursione Lotharingorum, ferro & incendiis fere totus immaniter absumptus est, libri mei, collectiones, innumeraque numismata, & fragmenta antiquorum librorum papyraceorum, linteorũ, & quæ corticibus, membranis, intestinisque, sardonycis, onychinis, & gemmis scripta servarã, vel dono data à nobilibus, vel precio maximo, & laboribus infinitis re-

dempta tot annis accumulaveram, uno momento prædæ militum omnia cesserint. deque tam multis rebus terra marique quæsitis, solum restat æternumq; desiderium. Et certe eorũ jactura mihi videri posset tolerabilior, si ea venissent in manus viri alicujus, qui ex ijs posset fructum facere, & ad utilitatem publicã convertere. Sed quantum audivi à sorore Philippa, in cujus domo scrinia mea asservabantur, pagus igne consumptus est, multis etiam crudeliter interfectis: neq; unquam rescitũ est, quid de meis factum sit sarcinis. Noluit tamen Deus benignus me prorsus destitui iis, quæ mihi antea singulari favore contulerat. Nam biennio ante hanc depopulationem, transtuleram Metas partem voluminis antiquarum inscriptionũ, quæ Romæ diversis in locis, tam privatis quàm publicis conspiciuntur. Sunt enim Romani præter cæteras orbis nationes istorum ornamentorũ studiosissimi: quibus illustrant porticus, cænacula, deambulacra, areas, & hortos suarũ ædium: peregrinisq; ea proponunt spectanda tanta facilitate & comitate, ut beneficium, quod in exteros cõferunt, videantur ipsi recipere. Persuasumq; habent illud in primis ad suas laudes pertinere, si invisantur ab hospitibus, maximè literatis, aut qui possint judicare de pictura, sculptura, & architectura. Romæ igitur cũ essem, depinxi, qua potui sedulitate, omnia marmora priscæ illius antiquitatis, cum suis inscriptionibus, signis, statuis, & forma uniuscujusque: Meumq; opus auxerunt clarissimi viri Lælius Cleopassus, & Veturius Leontius Hydruntini, Lentulus Ventidius, Rutilius Saravesa, & vir singulari eruditione cultus Iulius Roscius, Sanctæ Mariæ Transtyberinæ canonicus, qui ante quadrienniũ ad me misit plurima recenter è ruinis Romanis erута, ut duas Priapi inscriptiones, & alia plurima, digna quæ ad publicos usus conferantur: Ex quibus eã partẽ meis libris inserui, quæ inscriptiones continebat; propterea quod ad susceptam materiam pertineant. Nam de statuis, & signis nudis, non mihi cura fuit hic multa immiscere: tam propter ingentes sumptus, qui in sculptura requiruntur, quàm quod inscriptionum major sit utilitas, & ad nostrum institutũ faciunt. Hæc cum viderem posteritati posse conducere, & adprobari ab iis, qui bonarum artium studia sequuntur, aliisq; illiteratis quidem, sed judicio pollentibus, existimavi operam me præstiturum non supervacaneam, si quæ confusa erant, in ordinem redigerẽ, & typis excussa emitterem in lucem. Cumq; istos labores possem multis illustribus, & de me bene meritis dedicare, tu solus inter cæteros mihi visus es, cui ex officio deberent consecrari: Cum generis splendore, nobilitate insigni, virtute, & eruditione nulli sis secundus. Hoc ut audacius facerẽ, compulit me illustris Heroina Lois à Vienna uxor tua, de me cum matre ac sorore Nicolea semper optimè merita. Honorificum sanè mihi duco tuam promereri benevolentiam, & me iis gratum præstare, quibus omnia

quæ

quæ possideo accepta fero. Si igitur, Heros generose, meus hic conatus dignus videatur, qui tuo inscribatur nomini, ac serena fronte excipias librum hunc, quem libens tibi humiliterq; offero, existimabo mihi plurimum emolumenti ac laudis accessisse, scopumque quem mihi proposui attigisse. Necesse fortassis fuisset multa hic adnotare, quæ ad dillucidationem, & explanationem singulorum facerent Sed cum hoc opus non sine magna difficultate perfici possit, & in plerisq; (quod alij multi fecerunt) divinandum esset, & hallucinandum, malui supersedere huic labori, qui ex omni parte non posset omnium expectationi respondere: Nudeq; & simpliciter tibi quælibet proponere putavi consultius, quàm nimis jejune & minùs ad rem facientia futiliter scribere. Doctissimis quibusq; hoc non parum negotii facessere nemo est qui dubitet. Iudicabunt benevoli lectores de mea sedulitate & industria: Vnusquisque comminiscetur & commentabitur quod commodum putabit & verisimile: & si quid minus concinne videatur expressum, si quis in literis defectus inveniatur, quod procul dubio fiet non paucis in locis: rogabo obnixe ut considerent lectores (qui potissimum aliquando lustrarunt marmora antiqua, situ ac temporum iniuria mutilata & exesa) quàm difficile sit omnia notare, & accuratè exprimere: cum in lectione vocabuli unius diversi diversa judicabunt expressa: neque fortassis ex plurimis invenietur aliquis qui verum scripturæ sensum concipiat. Ego didici longa experientia quanto cum labore, & morosa divinatione consecutus sim plurima, quæ doctiores ante me non potuerant videre. Addam præterea multos esse qui malignitate noxia, & data opera corruperint inscriptiones: ut soli veras & integras possiderent, reliquis vitiatas & mutilas reliquerunt: Alij & in hac parte peccarunt ignorantia: cum ea quæ non cognoverant, neq; intelligebant, perperam restituere conati sunt. Sed in omnibus adprobandus est affectus: si potissimum manum non adhibeat sacrilegam iis, quæ nobis ab antiquitate relicta sunt obscuriora, qui non potest judicio capere quæ nimis difficilia sunt, relinquat ea discutienda sollertioribus: neque stolida emendatione vitiet quæ ignorat. Præstiti quod potui: & fortasse plus potui quàm alij multi potuerunt. Censuram peritiorum lubens feram in iis, in quibus peccasse probabor: Tibi vero, generose Domine, si satisfecero, non dubito quin & alij plurimi meam hanc operam sint laudaturi. Merces egregia tribuitur illi, cuius studia & labores viri boni ad publicam utilitatem, & delectationem referri posse testantur. Vale felicissime. Metis Mediomatricum, Calendis Ianuarij, anno Christi servatoris,

cIↃ. IↃ. xcIIII.

PAVLVS MELISSVS, SACRI PALAT. COM. EQUES TORQ. ET CIVIS ROM.

in effigiem I.I. Boissardi Vesuntini.

CIVIS heic labia, & genas, comamque,
Lector, eminulam virente lauro
Admirantibus inspicis Camœnis,
Boissardus meus est vetus sodalis,
Amicusque bonus, velutque frater.
Mî versatur in eminente lingua:
Inque ipsis oculis perenne fertur:
Omnis hæret in intimis medullis.
Diverso varius colore pictor,
Vestium Phrygio nitore textor,
Carminum Latio decore fictor.
Ternis muneribus remuneravit
Me sodalis, amicus, atque frater,
Pictura, & Phrygia plica, & poesi.
Quei discederet à sonante lingua?
Quei relinqueret is meos ocellos?
Aut quei desereret meas madullas?

PETRVS

PETRVS LEPIDVS METEN-
SIS REGIORVM NEGOTIORVM
SVMMUS PROCURATOR APUD
Mediomatrices, Tullios, & Vir-
dunenſes,

IN EANDEM EFFIGIEM.

QVIS QVIS viderit hanc brevem tabellam
Excellens Theodori opus, putabit
Naturæ arte nova, & novo favore
Chartas poſſe animari, & æra, & aurum,
Et quæcunque hominum metalla formam
Vividam induerint. Mei Iacobi
Sic ſpirare videntur, & moveri
Ora, & velle loqui, atque hiare labra;
Et nictare oculos ſimul, tueriq;
Adſtantes. In imagine, hoſpes, hæres
Muta: quæ exprimit ad vadum Moſellæ
Viventem, Auſtraſiaque in urbe Muſas
Colentem. Tibi ſi tamen voluntas
Abſentem fuerit videndi, ad eius
Scripta verte animum: Tibi illa prodent
Boiſſardi ingenium, intimamque mentem:
Cujus heic faciem levi papyro
Tam exacte manus artifex notavit.

IACOBVS PASCHARIVS MEDICINÆ DOCTOR,
IN EANDEM.

EXimius Phaëthonta Myron depinxit: at eius
Non potuit vires docta referre manus.
Boiſſardum expreſſit pictor: decus atque labores
Scire quidem potuit, pingere non valuit.

The Warburg Institute Iconographic Database

PAVLVS MELISSVS, COM. PALATIN.
EQVES, ET CIVIS ROMANVS, IN
librum Antiquarum inscriptionum I. I. Boissardi Vesuntini.

ANTIQVITATES, quas perampla Romuli
In urbe miramur, tua,
Boissarde, pridem dextera, haud graui sine
Labore pictas, tam diu
Latêre privis ecquid ab inscriniis,
Ecquid tot annis obsitas
Senere perfers? ede tandem, amabo te,
Et has, tuosque Cæsares,
Spirante factos è metallo vividos.
Prodesse nati, plurimis
Prosimus; haud amiculis solummodò.
Non Imperator hic recens
(Vt liberalis est) vetustis cesserit,
Pensans labores regibus.
Auro coronet ille, justis præmiis
Tuam remunerans manum:
Lauro decoras ipse (namque hac dignus es)
Tibi renodabo comas,
Addam corymbos, myrteasque bacculas;
Auctorque posteris ero,
Laudes vt æternante versus hos tuo
Sculpant honori in marmore.

VATIQVE PICTORIQVE SOLERTISSIMO,
MUSIS AMICO ET GRATIIS,
PERENNE BOISSARDO SUPERSTITI, DATUM
VIX QUALE CONSTAT MORTUIS,
MERCEDIS ERGO COLLOCANDVM MARMOR HOC
ÆTERNA FAMA GENSUIT.

PETRVS

PETRVS LEPIDVS METENSIS REGIORVM NEGOTIORVM SVMMUS PROCURATOR APUD Mediomatrices, Tullios, & Virdunenſes,

IN EASDEM ANTIQVITATES.

Brut a ruderibus jam dudum Roma jacebat,
Fœdabatq; altus mœnia quaſſa cinis.
Deq; tot & tantis opibus vix fama ſuperſtes
Vulgarat quædam non habitura fidem.
Eductam medio de pulvere traxit ad auras,
Boiſſarduſq; iterum vivere poſſe dedit.
Si quæras igitur, Romam quis condidit? aio,
Te primum accito fratre, Quirine, Remo.
Sed quam condideras, volventibus omnia Fatis,
Vrbs late florens interitura fuit.
At quam Boiſſardus meliori vulture nobis
Edidit, hæc nullos eſt ſubitura rogos.

PAVLI CHOVARTI BVZENVALII, REGII APVD BATAVOS LEGATI.

Dilectes Latii Manes, cineriſque ſepulchra
Cuſtodes veteris, Romulidumque decus,
Siſtite nunc faciles, meritaſque repandite laudes
Boiſſardo: ſimili qui ſimulachra manu,
Hoc eſt divina, vobis ſub luminis auras
Edit, & obſcuris eruit è tenebris.
Ne tenuem texens ſublimis aranea telam
Fluxum opere in tanto pendula opus faceret:
Ille triumphales arcus, monumenta laborum
Tantorum à mortis limine reſtituit.
Apparent rurſum moles ad ſidera ductæ:
Conſurgunt longa pondera victa die.

Marmora tot conſciſſa locis, tot tecta ſuperbis
Poſtibus innixa, heu quæ iacuere prius,
Erigis, & Boiſſarde noua ſic exprimis arte,
Vt ſtupeat formæ, reddita Roma ſuæ.
Totque ſepulchra virum clarum referentia nomen
Creſcere mirentur iam moritura ſuum.
Queis poſthac non imber edax ſubducet honores,
Flammaue: ſed de illis charta loquetur anus.
Sic quod ab artificis ſperabant munere primi,
Acceptum tibi poſt ſæcula longa ferent:
Roma faue: tibi namque tuo de puluere maius
Surgit opus, ſteterit quam caput ante tuum.

ODOARDI BIZETI CHARLÆI,
NOBILIS TRICASSINI.

QVI veterum veneranda petens monumenta vagaris,
Siſte gradum: heic variæ terminus eſto viæ.
Nil opus antiquas vrbes peragrare: ſuperba
Illa, illa vt videas, obſtupeaſque videns.
Quæ rigido aut ſaxo, ſplendenti aut marmore priſcûm
Artificum effinxit non imitanda manus.
Nam, Boiſſarde, tuis dudum concredita chartis
Nunc proſtant cuiuis conſpicienda domi.
Cuius & ingenio, penna & meliore nitescunt,
Erepta horrenti, quo iacuere, ſitu.
Mire opifex, ſparſim quæ pœne abſorpſerat ætas,
Exiguo cogens das rediuiua loco.

Free copy for study purposes only. The Warburg Institute Digital Collections

IACO-

IACOBVS PASCHARIVS, MEDICINAE DOCTOR.

CEcropios quicunque ſonant, Parthoſve, Getaſve,
Aut recinunt ſummos orbis in orbe Duces;
Magna petunt, Boiſſarde: decus nomenque perenne:
Poſt ſua quo liceat vivere fata rogant.
Id labor, & doctæ peperit facundia linguæ,
A ſera ut poßint poſteritate legi.
Quos tamen ut longo ſuperes diſcrimine ſolus,
Munere Roma tuo nunc rediviva facit.
Antea quæ denſis ſcriptorum immerſa tenebris,
Optatum latuit vix ſubitura diem.
AEternum tu vive igitur: cui Roma ſuperſtes
In mediis vivit vivere juſſa rogis.

IOANNES GARDESIVS MONTALBANVS, SANCTANTONINianæ Eccleſiæ Præfectus.

DUM renovas antiqua, tibi nova gloria cælo
Surgit: & illius ſternax non ſubruet ætas
Mœnia, quæ longi ludibria temporis eſſe
Neſcia, vaſtificis quæ neſcia cedere telis.
Sic, Boiſſarde, tuæ reſtant ſua præmia laudi.
Viva ſuis etenim ſuperavit Roma ruinis:
At tua poſt mortem tibi fama futura ſuperſtes.

EIVSDEM.

Antiqua ignorans puer es: liber iſte paretur;
E puero faciet te liber iſte ſenem.

AD ILLVSTREM ET GE-
NEROSVM HEROEM
HERMANNVM A GHOER, BARONEM DE PES-
CHE, DOMINVM VILLARTII, ANDRIMONTII, BRO-
hainæ, &c. Dominum ſuum colendiſſimum.

Ianus Iacobus Boiſſardus Veſuntinus.

FAMA Quirinales vulgat mirata triumphos,
Templaque Romani prodigioſa fori:
Et quæ Tarpeios retinent delubra Coloſſos,
Carpatiiſq; olim marmora ducta jugis.
Circorumq; aditus, crebriſque theatra columnis,
Et teſtudineum quod pavet amnis opus.
Magna fuere quidem: ſed quæ fulgentia quondam
Inſpexit rutilo tecta micare lare,
Nunc videt attonitus ſparſas ſqualere ruinas,
Et tectam crebris ſentibus hoſpes humum.
Heic ubi Cæſarei picti viguere Penates,
Clara Palatinæ qua fuit aula domus,
Hæc loca ramoſa propagine contegit arbos:
Antraque nocturnis illa relicta feris.
Sparſa jacent mediis divorum ſigna plateis:
Nullus honos Phœbo; gloria nulla Jovi.
Et quæ gemmato miracula prodidit arcu,
Horret in herboſis muta Minerva toris.
Obvius oſtentat quæ ſunt ignota viator:
Martius heic trito tramite campus erat:
Hoc Circo celeri volitabant axe quadrigæ:
Hoc populi alipedes dextra premebat equos.
Heic ſtetit in vaſto populi manus Amphitheatro:
Iulia famoſa heic porticus illa fuit.
Fortunæ heic fanum: vinoſi heic templa Lyæi:
Hoc culta eſt olim diva Erycina loco.

Heic Veſtæ arcanos clauſis penetralibus ignes
Virginei fovit cura operoſa chori.
Vrbis ab antiquo ſors hæc miſerabilis ævo,
Pro rebus rerum ſigna vetuſta refert.
Et quæ Romanæ nomen ſibi vendicat urbis
Nunc ſtructura frequens, pars brevis urbis erat.
Sic tu non Romam, potius veſtigia Romæ
Dicas, externas quæ tulit orbis opes.
Multa tamen ſunt quæ poſſunt ex ungue leonem
Prodere, & à ſera poſteritate coli.
At quæ ruderibus, paſſimq; jacentia vidi,
Non mihi ſuſceptus ſcribere cuncta labor.
Sed quæ poſſe olim ſtudiis prodeſſe putavi,
Hæc volui chartis inſeruiſſe meis.
Nempe ea quæ ſculptis extant monumenta figuris,
Quæcunq; antiqui temporis acta probant.
Iamq; opus exactum fuerat; longoque labori
Viſus eram ſummas impoſuiſſe manus.
Cùm tumet en ſubito ſignis illuſtre volumen,
Plebeia renuens veſte venire foras.
Ne me privato vulges ſub nomine, dixit:
Sed laudem tantæ ſedulitatis habe.
Eſt operæprecium tutorem quærere, cujus
Ipſe patrocinio clarior eſſe queam.
Principibus non ſunt iſthæc indigna, nec illis
Qui cava Pierii ſaxa Heliconis amant.
Auſtriaci ſupereſt generis doctiſſima proles,
Auguſtum Imperii quæ diadema gerit.
Eſt & Saxonicis Princeps celeberrimus oris:
Inque Caledonia Virgo Britanna plaga.
Qui benè de ſtudiis dudum meruere: Sed illos
Ne ſit tam longis quærere cura viis.
Ghorræum ſacræ præbent Heroa Camænæ:
Excultum Muſis is quoque pectus habet.
Ex priſcis illi manavit origo Sicambris:
Ortum animo & clara nobilitate refert.
Imperioq; opibuſq; potens, atque ubere gleba,
Culta Eburon dives rura ubi bobus arat.
Fulgentem galeam cingit Permeſſide lauro:
Aureaque Aonia temperat arma chely.

Et quem ſæpe habili cupidus moderatur habena,
Pegaſus eſt, ſancti quo petit antra lacus,
Et luſtrans latices Phorcynidos Hippocrenes,
Martia Pæoniis irrigat ora favis.
Hinc fit Apollinei cœtus ut fautor haberi
Et velit, atque artes ingenioſus amet.
Hæc monuit, nomenque tuum, famamque notavit,
Excellenſque tua nobilitate genus.
Tum memini quantis dudum virtutibus æques
Quos hodie primo mundus honore colit.
Et quantum in Muſas ſtudium fuit uſq;, fidesque:
Sæpe uti hoſpitio quæ voluere tuo.
Hæc, inquam, domino debentur; vindice ſub quo
Audebit lucem noſter adire liber.
Livida nec Moni curabit labra, nec illam
Quam crebro immeritis concitat invidiam.
Quod tibi conatus, ſi induſtria noſtra placebit.
Talia nec vanus ſit ſubiiſſe labos;
Accipe quicquid erit: Tibi enim hæc, auctorque dicantur:
Queis majora mihi nec dare plura licet.
Quæ deerunt operi venia dignare: nec illud
Durior exacta dextra bilance notet.
Non hinc immodicos tumidi captamus honores,
Grande nec in populos quod mihi nomen eat.
Quilibet utatur: quodque heic putat utile, carpat:
Atque abeat præda ditior ille mea.
Supprimat & famam, deberi quæ mihi poſſet,
Si judex meritis æquior eſſe volet.
Pro qua animus non eſt nimium contendere: Non ſum
Qui vener laudes ambitioſus homo.
Iure aliis de noſtro etiam concedo libenter:
Nec me illis, dum æquum eſt, poſthabuiſſe pudet.
Quorum virtutem & doctrinam admiror, amoque;
Omnibus hos ſtudiis, officiiſque colens.
Pendetur, meritum quæ æquet, juſtiſſima merces,
In primis videar ſi placuiſſe tibi.

DE ANTIQVÆ VRBIS ROMANÆ SITV, ET ORIGINE: PRÆCIPVISQVE EIVS RVINIS, ET RELIQVIIS, QVÆ IN HODIERNVM USQVE DIEM SVPERSVNT.

ROMANORVM majestas & amplitudo religione, atque arte militari maximum statim à principio cepit incrementum Quibus in rebus ita excelluerunt, ut cæteras orbis nationes longè visi sunt superasse. Nec absre Romulum urbis conditorem Martis filium prodiderunt: qui primùs civitatem suam ex Pastorum confluxu, deinde ex fugitivis, & exulibus, ampliavit; quibus Asyllum, ac admissorum impunitatem proposuerat, ut plures ad se alliceret. Rapto itaque primum, & armata manu res paulatim auxit, vicinosq; ad amicitiam, tam vi, quàm consilio coëgit. Hunc secutus est Numa Pompilius: Qui cùm animadverteret in violentia non satis esse præsidij, ad beate tranquilleq; vivendũ, armis religionem statuit conjungere. Ritibus itaque piis, & sacrificiis, quæ didicerat ex Sabinis, unde natus erat, novæ urbis incolas agrestes, rudes, & malè moratos ad pacificam vitam, & cultum Deorum reducere conatus est: iis persuadens nihil in hac vita stabile, nihil diuturnum constare posse, nisi Deorum ope, & auxilio fulciretur: Vtque religionem, quam suis civibus proponebat, efficacem, sacrosanctam, & inviolabilem conservaret, ritus & sacrorum ceremonias, quas invexerat, ad Ægeriam Nymphã referre voluit: cum ea enim quotidianos congressus sibi esse fingebat, & ab ea doceri accuratê quos sibi honores, & cultum Dii singuli cuperent præstari: Ex horum duorum regum legibus & institutis, non solum urbis mœnia fundata sunt, sed etiam gubernatio civitatis constituta; primum sub regibus, postea sub cõsulari dignitate, postremo sub Imperatoribus. Factumq; est ut temporum intervallo eò usq; Romana creverit potentia ut diversis bellis Latiũ subjugaverint, Albanorũ regnũ ad se transtulerint. Iisdemq; armis, ac successib. metas sui Imperii propagaverint per totã Italiã, Græciã, Galliã, Germaniam, & Hispaniã. Imo bonã Asię partẽ occupaverũt

uſque ad Parthos: Ægyptum ſibi ſubjecerunt,& Africæ oram, à Nilo uſq; ad fretum Gaditanum: Majorq; fuit,ac potentior illorum Monarchia,quàm priùs extiterat Babyloniorum, Aſſyriorum, vel Macedonum. Nempe qui aliorum regna & provincias omnes occuparint in Oriente,legeſq; dederint omnibus Europæ populis, qui ad occaſum, & Septentrionem dominabantur,uſq, ad Oceani littora. Donec ſucceſſu annorum Conſtantinus magnus Roma relicta Bizantium ſe recepit,eoq; tranſtulit Imperialis majeſtatis tribunal. Ac paulo poſt relicto Orientis dominio Conſtantini poſteris, Carolus magnus Occidenti præfuit:& ad Germanos redacta eſt Imperii ſumma: quæ longa Principum ſerie pervenit ad Rudolphum ſecundum Maximiliani filium,qui hodie rerum potitur.

At cum de Romana origine pauca nobis ſint hic dicẽda,altiùs paulò narrationem meam ordiar. Romam inhabitaverunt primum Siculi: quibus expulſis Arcades duce OEnotrio Lycaonis filio locum occuparunt. Poſtea Pelaſgi cum Aborigenibus eò conceſſerunt, qui Theſſali dicebantur. Idq; ante Troiam dirutam. Saturnus deinde Apterita ex Creta pulſus à filio Iove Aſterio,fugit in Italiam;&ad Ianum Aborigenũ regẽ ſe recepit, à quo benigniter exceptus eſt: Ianoq; mortuo regni ſucceſſor relictus eſt. Aliquãto poſt Nicoſtrata,quæ dicta eſt Carmẽta, cũ Euandro è Theſſalia venit ad Faunum regem Aborigenum, à quo parte regni donata eſt, & Palatium oppidum condidit, non procul à Tyberi. Anniſq; aliquot ſequentibus everſo Ilio,cũ filio Aſcanio venit Æneas in Italiam ad Latinũ Fauni filium, & ducta Lavinia Latini filia, in ſocietatem regni eſt admiſſus: Tunc ex Aborigenibus & Troianis Latini facti ſunt. Ænea tandem à Mezentio Hetruſcorum rege cæſo, Aſcanius regni ſumpſit adminiſtrationem: Laviniumq; & Albam longã ſtruxit: morienſq; diadema reliquit Silvio fratri, Laviniæ novercæ filio: Longoq; regum Albanorum ordine, rei ſumma pervenit ad Amulium;qui expulſo Numitore fratre, regnum per vim retinebat. Lauſo fratris filio cæſo,& Silvia Rhea filia in Veſtalium congregationẽ compulſa:ut illic perpetuæ virginitatis lege obligata,ſobolẽ nullã haberet. Sed à Marte compreſſa, gemellos peperit Remum & Romulum: quos ſtatim Amulius exponi præcepit. At infantes ad ripã Tyberis vagientes à Fauſtulo regiorum armentorum cuſtode reperti ſunt, traditique Laurentiæ uxori, à qua poſſent educari: quæ quia non eſſet pudicitiæ ſatis integræ,lupa vocabatur: hinc fabula emerſit, infantulos Lupam primùm lactaviſſe. Hi igitur inter paſtores nutriti,poſtquam adoleviſſent,captus eſt Remus, & apud Amulium accuſatus, quòd greges Numitoris raptibus frequentibus imminueret. Captivum juvenem Rex ad fratrem miſit, ut ab eo puniretur: Qui poſt diverſa colloquia cum avo Numitore viciſſim habita, eius nepos ex filia Rhea cognitus eſt.

Iam

Iam eo advolaverant festini Faustulus ac Romulus, ut vincto fratri ferrent opem. Re itaque cum avo communicata, ac conspiratione facta, ex improviso, & nihil tale suspicantem Amulium omnes aggrediũtur, & obtruncant; regnumque Numitori restituunt. Gemini vero fratres Alba relicta, ad Tyberim descendunt, ubi fuerant expositi, & Romam condunt: anno post Troiæ subversionẽ quadringentesimo trigesimo secundo. Vrbis igitur mœnibus designatis, cum de nominis impositione inter fratres orta esset rixa, Romuli jussu de medio sublatus est Remus: Novæq; urbi ac civibus nomen dedit.

Principiũ igitur suum Romana autoritas & magnitudo cepit à Romulo. Is suam urbem quadrata forma struxit: Primumq; Palatinum montem, in quo fuerat educatus, incoluit. Postea Capitolium & forum conjunctum est. Tatius à saxo Carmẽtali ad Tyberim, inde ad Circum maximum pomœria extendit, Palatinum Capitoliumq; includens: quibus adjecit Quirinalem & Cœliũ montes. In urbe Romuli quatuor tantum fuerũt portæ Carmentalis, Romana, Pandana, & Ianiculensis. At cum Romani variis usi victoriis essent in bellis cõtra vicinos, victos sua civitate donaverunt. Factumq; est ut cum mœnia priora tantã non caperent multitudinem, Tullius, postquam de Sabinis & Albanis reportasset victoriam, Cœlium montem, & Esquilias addidit urbi. Post illum Ancus, Politorio capto, mœnium ampliavit ambitum, victisque hostibus habitandum dedit Aventinum. Nec multo post Latinis ianiculum concessum est. Postremo à Servio Tullio Viminalis & Quirinalis adiecti sunt urbi. Tarquinius Superbus mœnia primum struxit lapidea. Sed aliquanto post sub Imperatoribus longè amplior circuitus pomœri redditus est: utpote qui circiter mille & viginti passuum millia tempore Plinii contineret. Cum autem Roma in sua esset amplitudine, portas habuit plurimas, situ ac nominibus diversas. Flumentana, sive Flaminia, quæ hodie Porta populi dicitur, ad viam Flaminiam sita est, & collem hortulorum. Collatina, quæ Collatiam ducebat, in eodem est colle: nunc Pinciana vocatur. Quirinalis quæ & Agonensis & Collina, nunc Salaria. Viminalis, sive Ficulnensis, & Numentana, hodie sanctæ Agnetis, à templo adjacente. Tiburtina, quæ ad Tibur iter pandit, structa est in aquæductu fontis Martii. Esquilina, quæ & Taurina dicta est, nunc Porta sancti Laurentii. Nævia olim Labicana, hodie porta major nuncupatur. Cœlimontana sive Asinaria, nunc sancti Ioannis. Gabiusa ad Gabiorum urbem ducens, suum nomen retinet, estque clausa, ad Cœlim collem vi letur. Latina non procul à templo sancti Ioannis, in Latium tendebat, hodie nomen suum non immutavit. Capena, quæ & Camœna, propter Camœnarum delubrum illi vicinum, vel Appia, ab Appio Senato-

Senatore, qui viã ſui nominis illic ſtravit: vocata eſt etiam Triumpha-lis, quod ea triumphantes urbem ingrederentur: vel Fontinalis, à fon-tibus frequẽtibus illi portæ vicinis: nunc ſancti Sebaſtiani porta appel-latur. Tergemina porta in uſu nõ eſt hodie: ejus veſtigia prope Salinas adhuc extant. Oſtienſis, nunc ſancti Pauli, Oſtiã ducit. Portuenſis, nũc Porta Ripæ vocatur, ad Oſtienſem portũ iter pãdit. Aurelia eſt verſus Ianiculum: nunc dicitur Porta ſancti Pancratii. Septimiana (quã Septi-mius Severus ſtruxit) Ianiculo ſubjacet; Ælia dicta eſt ab Ælio Hadria-no eius autore. Mœniũ ambitus tercẽtum & ſexaginta turribus diſtin-ctus eſt: quarum pars major in hodiernum uſq; diem permanet inte-gra: reliquæ nutantes, & ſemirutæ cõſpiciuntur. Ab urbis portis protẽ-debantur plures viæ, opere ac impenſis illuſtres: Inter quas omnium excellentiſſima fuit Appia, quæ ad Capuam uſq; protendebatur: ſtrata fuit lapide nigro duriſſimoq;: ſepta utrinq; templis & ſepulchris ma-gnificentiſſimis, & luco Ægeriæ. Ejus partes vidẽtur adhuc nõ procul ab urbe, & qua itur Terraciná. Hanc ſtraverat propriis impẽſis Appius Senator. Via Flaminia facta fuit à Cn. Flaminio M. Lepidi collega; quod opus inchoatum eſt poſt Ligures devictos: eaq; Piſaurũ uſq; ducebat. Latina per Labicanum extendebatur ab urbe in Latium. Oſtienſis ver-ſus Oſtiã tendebat: ab Anco Martio ſtrata eſt. Tyburtina itur ad Tybur in ea pons eſt Mammeus, & Lucanus Anieni ſuperpoſitus Ficulnenſi via Numentum ibatur: in ea Næniæ deæ funebres templũ habebãt, & dii noxii, ut Nemeſis, Febris, & Mars ultor. Pons Numẽtanus adhuc ho-die ad eam videtur viam, quem Narſes Eunuchus ſtruxit. Via Collina extẽdebatur à porta Salaria Sabinos verſus: ad eam erectũ eſt templum Veneris Erycinæ, à Fabio Dictatore conditum, & delubrum Veneris Verticordiæ, & Honoris ara. Æmylia via, ab Æmylio Lepido Flaminii collega ſtrata eſt lapidibus, uſq; Bononiam. Fuit & alia ejuſdem nomi-nis, quam Scaurus ſtruxerat: eaq; Piſas & Lunam ducebat per Sabatios. Tyberina quæ à porta, quam Viridariam nominant, principium ſuum habet, ducit Sutrium, Vtrellam, Viterbumque, & iter in Volſinenſem præſtat. Aurelia via per Tuſcorum oram maritimam Piſas protende-batur: hæc dicta eſt Traiana, quod Traianus illam reſtauraverat: ad eam horti & ſepulchrum Galbæ fuit erectum.

Pontes quoq; ſuper Tyberi ſtructura magnifici adhuc extant: quos etſi Totila fere omnes fregit & evertit, ſunt tamen reſtaurati, & ad pri-ſtinam formã reducti. AElius põs, ab AElio Hadriano ſtructus eſt, quo iretur ad inſigne illud ſepulchrum Antoninorum, quod tantis ſumpti-bus erexerat: quod olim arx Creſcentii dictũ fuit, à Creſcentio quodã, qui eam molem occupaverat: nunc dicitur Caſtellũ ſancti Angeli, præ-ſidium Summorũ Pontificum munitiſſimum. Vaticanus põs dictus eſt

Trium-

Triumphalis: quod per eum triúphiantes ſuas pompas in Capitolium ducerent: eius pilæ adhuc medio Tyberi conſpiciuntur, è regione Xenodochii Sancti Spiritus. Ianiculenſis pons, qui & Aurelius, ab Antonino Pio marmoribus fuit ſtratus: nunc vocatur pons Xyxti, à Xyxto IIII. P.M. qui eum inſtaurauit. Fabricius, prius Tarpeius vocabatur, à L. Fabricio ſtructus eſt: nunc quatuor capitum, à marmoreis ſimulachris quadrifrontibus, quæ ponti vicini ſunt, dicitur: eſtque è regione Theatri Marcelli, vbi inſulam cum vrbe coniungit. Ceſtius eandem inſulam regioni Tranſtyberinæ connectit: olim Eſquilinus, nunc ſancti Bartholomæi. Senatorius pons, qui & Palatinus prius dicebatur, quod per eum in Palatium conſcenderetur, nunc S. Mariæ Ægyptiacę nomen tenet, à templo quod non procul diſſitum eſt. Sublicius, quem olim ligneum fabricauerat Ancus Martius, poſtea ab Æmylio Lepido factus eſt lapideus, & marmoreus appellatus. Ex eo facinoroſi in Tyberim præcipitabantur.

Explicare verbis nemo ſatis poſſet quantas impenſas olim fecerint Romani reges, Conſules, & Imperatores, in admirādis ædium ſtructuris, tam publicis quam priuatis, in Thermis, Circis, Theatris, Tēplis, & aliis eiuſmodi: quorum reliquiæ ſatis oſtendunt Romanā potentiam, & induſtriā potuiſſe quidlibet præſtare: qui cum ſemper ad res arduas, maxime, ad famā promouendam adſpirauerint, nihil intentatum viſi ſunt relinquere, quo ſui nominis memoriam ad poſteritatem, quātum viribus. & ingenio humano pręſtari poteſt, producerent. Ideo per totū Imper. ſtructa templa legimus ſumptuoſiſſima, non ſolum Diis, quib. hoc ex pietatis officio præſtari debebat, ſed etiā bonis Principibus, & claris viris: quorum ductu, & conſilio Reipubl. maieſtas fuerat promota. Hos Senatus auctoritas inter indigetes ſolemni cōſecratione referens, ritibus diuinis, ceremoniiſq;, & publicis inſcriptionibus eorum nomina æternitati cōſecrauit. Honos n. ad virtutem ſtimulus eſt acer; neq; roboratur efficati⁹, & ad honeſtas actiones incitatur animi generoſi promptitudo, quam ſi famam ſibi æternam laudabilib. conatibus animaduertat præparari. Quodq; ſordidi & auari propter lucrū laborant, nobiles & illuſtres animæ propter famam promptius aggrediuntur. Propterea in hodiernum vſq; diem nullam Imp. Rom prouinciam cernimus, quæ non demonſtret aliqua elogia marmoribus inſculpta, quibus anteactorum temporum memoria ad vitam nouam reduci videatur: vt benemeritorum ciuium, vel Principum honos, quantū humana præſtare potis eſt induſtria, in perpetuū prorogetur. Hęc opinio & honorifici nominis deſideriū plurimos mouit, vt diuerſis in locis, tā in vrbe, quam foris, erigerent publica ædificia, impenſis & opere celeberrima, quæ tam vſui populorū, quam recreationi & voluptati inſer-

uirent

virent.quorum pars ad noſtram ætatem pervenit integra;reliquorum (quæ temporis injuria , bellorumq; violentia ſubverſa jacent) ruinæ paſſim per totam Italiam , cum tanta ſpectantium admiratione ſuſpiciuntur:ut ex parvis reliquijs facile judicent omnes,nihil tam arduum nihil tam difficile cogitari potuiſſe, quod ingenio & labore tantorum artificum non ſit olim perfectum. Tantæ lapidum moles ſpectantur adhuc erectæ,ut montes mõtibus ſuperimpoſitos dixeris: Tanta ſtructurarum,tamq; varia continuatio , tantum artificiũ in omnibus;tam diverſa marmora ex longinquis quæſita regionibus , ut in uniusurbis ornatum,accumulata credantur omnia,quæ toto orbe excellentia cõquiri potuerunt. Inter cætera quæ nobis ingenioſa reliquit antiquitas ſumma admiratione digna, ſunt Thermæ , loca publica quibus unus quiſq; excipiebatur ad lavandum. Introducebantur enim in eas Thermas aquæ derivatæ è ſuis fontib. & per aquæ-ductus ſumptuoſiſſimos fluebant in loca deſtinata , ubi calefiebant , & præparabantur ad uſus balneorũ: Quib. ampliſſimæ porticus ſuperbis fultæ columnis,deambulacraque,incruſtatione marmorum,& pavimentorum varietate ornatiſſima adjuncta erant: & natatoria,& Xyſti,& nemora amœniſſima, in quibus promiſcue cujuſlibet conditionis homines ſeſe recreabant, & exhilarabant,genio & voluptatibus indulgentes:earum enim Thermarum & balneorum major uſus olim fuit,quàm noſtro tempore.

Thermæ numerantur in urbe duodecim ſtructura,ſumptibus,& fornicum amplitudine,labrorumq; precio admirandæ. Traiani, Titi, Agrippæ,Syriacæ,Commodianæ,Severianæ,Antoninianæ,Neronianæ,Diocletianæ,Decianæ,Conſtantinianæ,&Septimianæ. Ex quibus nullæ extant magis integræ quàm Diocletiani,quæ in dorſo Viminalis erectæ ſunt:Et Antonini Caracallæ ad radices Aventini,prope templũ ſanctæ Balbinæ. In iis enim mõſtroſæ altitudinis teſtudines,& columnæ marmoreæ adhuc ſuperſtites , paſſim humi jacentes & proſtratæ conſpiciuntur:Labraque, quibus lavabant homines,ex Ophite, Porphyrite,Alabaſtro, & precioſiſſimis marmoribus ſervantur multis in locis,quorum impenſas & precium nemo facilè poteſt æſtimare.

Thermarũ Titi Veſpaſiani veſtigia ſunt non procul à delubro ſancti Martini in montibus:ubi aquarum receptacula viſuntur, quæ ſeptem ſalæ vulgo nuncupantur : haud procul inde repertæ ſunt ante aliquot annos quædam cellæ ſubterraneæ, quarum parietes elegantiſſimis picturis ſunt variegati:in quibus priorum artificum jucũda & elaborata manus cernitur:ad quarum imitationem id picturæ genus,quod Groteſcos vocant,renovatum eſt:à grota enim,quæ ſpeluncam ſive cavernam ſignificat,denominationem ſumpſit. De reliquarũ Thermarum, ac balneorum ruinis plura non dicemus hoc loco , ne noſtra narratio,

quam

quam brevem inſtituimus,tædio lectorem adficiat.

Theatrorum & Amphitheatrorum ædificia Thermas niſi ſuperent, æquare ſanê nemini dubium eſt. Ex quibus extat quaſi integrũ Statilii Tauri Amphitheatrum,prope mœnia ad templum S. Crucis in Hieruſalem. Amphitheatrum omnium maximum extructũ fuit,à Veſpaſiano inchoatum,& à Domitiano perfectum, & ornatũ incruſtatione marmorea,& ſignis ſtatuiſq; frequentibus. Eſt enim inter Cœlium & Eſquilias:eratq; capax octoginta millium hominum. Nunc vocatur Coliſeum,à Coloſſo ſolis,qui prope fuerat erectus:factũ eſt ex Tiburtino marmore,lapidibus ingẽtibus:ut ſtupeas, & mireris tantas moles exſcindi,& alio tranſportari potuiſſe. Hodie deſtructum eſt ex majori parte,& ex ejus lapidibus Palatium Cancellariæ eſt ædificatum:relicta tamen eſt portiuncula integra,ut ex ea judicari poſſit,quam ſplendidũ fuerit ædificium,cùm eſſet integrum:quod dicitur undecim annis abſolutum fuiſſe,à triginta millibus hominum,qui in eo laborarunt aſſiduè,donec ad perfectionem fuit adductum.

Theatrum Marcelli viſitur ad palatium Sabellorum:Hoc Auguſtus Cæſar erigi curavit in honorem Marcelli ex ſororeOctavia nepotis:cui adjunxerat bibliothecam inſignem mater Octavia, & Porticum vicinam,ornatam variis ſimulacris deorum,& illuſtrium virorum.

Eſt & aliud Theatrum,quod Pompeii dicitur;inter Marcelli Theatrum,& forum Iudæorum. Ejus pars adhuc integrà erecta eſt ad palatium Vrſinorum:Hoc lapideum Pompeius primus fecit,cùm antea in urbe Theatra eſſent lignea, quæ tandiu manebant, quandiu pópulo ludi exhibebantur. Pompeius verò manſurum perpetuo incœperat, quod Caligula abſolvit.

Fuerunt etiam Romæ porticus publicæ erectæ,in quibus deambulabat populus ad recreationem ſub umbra: quarũ ruinæ adhuc extant multis in locis:quemadmodum ad templum ſancti Laurentii in Miranda videtur pars porticus Antonini & Fauſtinæ:& in foro Romano tres illæ columnæ ſtriatæ, fragmenta ſunt porticus Liviæ : & ad templum Iunonis monetæ (quod nunc ſancti Angeli in Piſcatorio foro dicitur) pars videtur porticus Mercurij: altera Severi in platea Iudæorum. Antonini Pij alia inter Pantheum & Sciarræ vicum, quæ tantum reliquiæ ſunt exiguæ magnificarum illarum ſtructurarum quas antiquitas ſuſpexit.

Columnæ quoq; mirandi fuerunt artificij, poſitæ diverſis locis in urbe:quarũ duæ ſuperſunt adhuc ſtructura,& artificio celebres: Omnium integerrima eſt Traiani Columna cochlis,quæ in foro Principis ejuſdem ſtat erecta,inter forum Nervæ,Capitolium,& Quirinalem. In eius ambitu rerum geſtarum ſeries à Traiano,elegãtibus hiſtoriis ſculptura expreſſit. Per eã intrinſecus cõſcenditur gradib. 185. Feneſtellæ 40

lucem præbent aſcenſui. Alia eſt columna cochlis non minoris altitudinis, artificiique; non procul à templo ſancti Laurentii in Trullio: quæ Antonino Pio ſacra fuit: ad cujus faſtigium non patet aſcenſus, ſicut in Traiani columna: quod hæc Antonini media ſui parte confracta, gradus & concavitas interna planè ſit ruderibus obſtructa, neq; amplius ſit pervia.

Circos quoq; plures fuiſſe conſtat Romæ. Inter quos præcipuus numeratur Circus maximus, inter Palatinum & Aventinũ. Longus (teſte Plinio) ſtadiorum trium, latus unius ſtadii. Is ſpectantium ducenta & ſexaginta millia capiebat. Primum à Tarquinio Priſco cœptus eſt, poſtea ampliatus à Cæſare, & variis templis, ſignis, & ſtatuis ornatus.

Circus alter fuit Agonalis: cujus latitudo & lõgitudo fere videtur nõ procul à templo S. Apollinaris, & dicitur vulgò in Agone. A Numa Põpilio erectus eſt: in quo Agonalia quotãnis celebrabãtur in honorẽ Iani: poſtea à Nerone reſtauratus eſt, & locorũ adjectione amplificatus.

Flaminius Circus fuit olim, ubi hodie videntur officinæ obſcuræ: non procul à templo S. Catharinæ: In eo ludi Apollinares, & equeſtres exhibebantur populo.

Circus Floræ vicinus fuit Pilæ Tiburtinæ, & foro Archemori: ibi fiebant Floralia quotannis, ludi in quibus turpia publice patrabantur: in hunc Circum Cato Cenſor ſtudio videndi cùm eſſet ingreſſus, & compertum eſſet populo, prodire nõ auſi ſunt actores: quod ubi Cato animadvertit, furtim ſe ſubduxit, ne populi moraretur, & impediret ſpectacula: unde natum proverbium: ingreſſus eſt Cato, ut exiret.

Circus alius, ſive Hippodromus Caſtrenſis integer fere viſitur ad viam Appiam: haud procul à ſepulchro Cæciliæ Metellæ, quod Capo di Boi vocatur: ad angulum arcis Prætorianæ: quam alij dicunt fuiſſe Pomœtiæ muros.

Arcus Triumphales à Romanis erigebantur viris illuſtribus, & Imperatoribus: qui debellatis provinciis triumphum merebantur. In iis geſta triumphantium inſcidebãtur, ad perpetuam rerum memoriam: videnturq; adhuc hodie aliquot erecti, tanta altitũdine, tanta lapidum mole, ut Gigãtum robore potius, quàm hominum opera credas fuiſſe compactos, & conſtructos. Arcus Titi Veſpaſiani antiquiſſimus omnium videtur in foro Romano; qua ad Amphitheatrum patet deſcenſus ſuper via ſacra, ad parietes templi S. Mariæ novæ: Arcus hic Tito ſacratus eſt, devictis Hieroſolymis: ut apparet in ſtatis, & ſculptis captivorum, & triumphantium imaginibus: ubi repræſentantur ſpolia templi Iudaici: arca fœderis, tabulæ Moſis, candelabrum, & vaſa ſacra, quæ in triumpho ferebantur.

Arcus Septimii Severi erectus eſt adhuc integer ad radices Capitolii: in cuius frontiſpicio utrinque, res geſtæ Principis terra marique conſpiciuntur ſculptæ.

Con-

Conſtantinus magnus Arcum poſuit triumphalem ad angulum Palatini montis: non procul ab Amphitheatro: parum admodum mutilatus eſt, aut annorum injuria læſus: niſi quod ſtatuarum capita ſint avulſa: idq; factum eſt noſtro tempore, Pontificatum tenente Clemente VII. à Laurentio Medices ejus nepote: qui propterea pulſus eſt urbe. Hunc arcum ſtruxit Conſtantinus, debellato & ſubmerſo ad Pontem Milvium Maxentio, qui tyrannide Romanos immani vexarat. Arcus Galieni Imperatoris ex Tiburtino lapide ſtat erectus ad templum ſancti Viti, qua deſcenſus eſt ad Suburranum clivum.

Arcus Domitiani, qui hodie Tripoli dicitur, mutilatus videtur prope templa S. Silveſtri, & S. Laurentij in Lucina.

Arcus Fabianus (quem Fabius Cenſor dicitur erexiſſe devictis Allobrogibus) in via ſacra conſpicitur, iuxta regiam, & baſilicam Pauli.

Obeliſcos diis erectos, & in circis ſepulchriſque poſitos videmus multis in locis, ad magnificentiam & ornatum: & ut plurimùm lapide Thebaico Ægyptiaco, ſignato literis Hieroglyphicis. Inter omnes obeliſcos qui per totum Romanum Imperium poſiti ſunt, nullus fuit major illo, qui in circo maximo fuit erectus, qui longus fuit pedes, 132. Eodem in circo fuit alter minor, qui non ſuperavit longitudinem pedum, 88. Vterq; dicitur ſtratus latere ſub terra hortorū, qui complent Circi amplitudinem. In Vaticano fuit alter obeliſcus, qui in ſua longitudine continet pedes, 72. præter acuminatam partem, quæ alta eſt pedes, 6. & ſemis, & baſſim quę latet ſub terra pedes, 37. Obeliſcus in parte inferiore latus eſt ped. 12. min. 5. in ſuperiore vero ped 8. min. 5. continet hanc inſcriptionem, DIVO CÆSARI DIVI IVLII F. AVGVSTO TI. CÆS. DIVI AVG. F. AVGVS SACRVM. In eius faſtigio globus erat deauratus, quo Iulii Cæſaris cineres incluſiſſe dicitur Tiberius Cæſar: qui obeliſcum hunc ex montibus Æthiopiæ, per Nili alveum curavit advehi Romam: alii ornamentum Circi Vaticani fuiſſe dicunt. Hoc tempore, 1586. Sixti VI. P. M. juſſu remotus eſt à latere templi Vaticani: & erectus in ampla illa platea, quæ Palatio Pontificum adjacet: factumq; eſt id, opera Dominici Fontanæ Comenſis Architecti, non ſine ſpectantium omnium ſumma admiratione, qui tantam molem loco moveri, & alio tranſportari poſſe nulla humana arte credebant: cum noſtro tempore pauci inveniantur, qui in talibus rebus ingenio valeāt: quod principes ſumptus facere vel nolint, vel nequeāt: & ſpreta paſſim architectorum contemnatur induſtria. Obeliſcus hic quem Fontana tranſtulit è ſuo loco, ponderat libras, 965148.

In Campo Martio videtur adhuc obeliſcus ejuſdem longitudinis, qui ſtratus jacet in cellis ſubterraneis aliquot ædium, prope Doganam veterem. Et is literis Hieroglyphicis eſt cultus. Duo alij cernuntur jacentes, & confracti ad templum S. Rochi prope portam Flaminiam:

quorum ſinguli continent longitudinem pedum, 42. Fragmenta ſunt Mauſolei, quod Auguſtus erexit; ut in eo Cæſarum cineres recondẽrentur: & ejus ſepulchri ruinæ frequẽtes ſunt, à poſteriore parte S. Rochi teſtudinibus & cellulis adhuc ex bona parte integris. In via Appia, in illo Caſtrenſi Hippodromo, jacet obeliſcus ingens medio intervallo inter vepres: qui notis Ægyptiacis in toto circuitu ornatus eſt. Alij aliquot minores in urbe ſervantur: ut ad ædem S. Euſtathij: & in hortis Mecœnatis.

Aquæ ductus non minore magnificentia, & ſplendore ſtruxerunt antiqui: per quos aquæ diverſis è ſcaturiginibus, montibus effractis, & canalibus continuis in urbem perducebantur, ad uſus tam publicos quàm privatos. Horum aquæductuum pars magna extat adhuc, tam intra quàm extra mœnia, Caſtellaque, & aquarum receptacula opere teſtudinato, multa adhuc ſuperſunt integra. Aquarum quæ in urbem influebant nomina hæc in auctoribus citantur. Appia, Martia, Virgo, Claudia, Herculanea, Tepula, Damnata, Traiana, Annia, Halſientina. Cœrulea, Iulia, Algentiana, Sabbatina, Aurelia, Septimiana, Severiana, Antoniana, & Alexandrina. Ex quibus Aqua virginis ſola permanet: quæ vocatur hodie fonte Lotreio: ejuſq; aquæductum, & fontem reſtauravit Nicolaus V I. Pont. Max.

De templorum ſtructura deque eorum ornamentis non eſt neceſſe ut multa hoc loco inferam: cùm tota urbs iis plena ſit: omnibuſq; in regionibus extent plurima, ſumptibus & arte elaboratiſſima. Inter cætera unum ſumemus, de quo paucis verba faciã, & legentibus hunc tractatulum proponã, ut ex eo de cæteris judicium poſſint facere: quæ à priſcis illis piis patribus, cum eſſent Chriſtianam religionem amplexi, rejectis prophanorum, & Gentium idolis, conſecrarunt Apoſtolis, & ſanctis Martyribus: ne perirent ſplendida illa ædificia, quæ tantis ſumptibus, & opera tã præclarorũ artificũ fuerant conſtructa. Inter ea igitur quę in urbe videntur templa, nullũ magis integrũ ſupereſt, nullum architectura admirabilius, quàm Pantheũ. Hoc à M. Agrippa erectum eſt, & dicatum (ut quidam volunt) Iovi ultori: Alij Cybele ſacrum fuiſſe malunt: multi aſſerunt, quod fit veriſimile, omnibus Diis devotum, unde Pantheum nominatum eſt: Hodie ſanctæ Mariæ rotundæ vocatur. Structura elegante, latericio conſtat opere. Nullæ in eo templo feneſtræ: Pars fornicis ſuperioris aperta, & ampla lucem dat inferiori loco: qui totus illuſtratus eſt marmoribus precioſiſſimis, diſtinctuſque cellulis, & receptaculis, quibus ſimulachra deorum continebantur: Inter quæ fuit olim Minervæ ſtatua eburnea, Phidiæ ſculptoris opus abſolutiſſimum. Fuit & Veneris ſignum elaboratiſſimum, cui adplicatus erat unio ille admirabilis, quẽ Plinius unicũ & ſingulare opus Naturæ vocat. Hunc Auguſtus devicto Mar. Antonio & Cleopatra, ex reginæ auri-

auricula detraxerat: & quia illi par in toto terrarum orbe non inveniretur (nam alterum huic ſimilem diſſolutum Cleopatra propoſuerat bibendum eo cõvivio, in quo cum Antonio de ſumptu decertabat) Cæſar in duas partes hunc diſcindi juſſit, & ad ſtatuã Veneris, quæ in Pantheo erat adplicari. Pondus hujus unionis erat dimidiæ unciæ, hoc eſt 80. ceratiorum, ut noſtri temporis aurifabri loquuntur. Præcium æſtimabatur ducentorum & quinquaginta milliũ coronatorũ. Pantheum hoc laminis argenteis tectum erat: quas Conſtantinus Heraclii nepos detraxit, & cum reliquis Romanæ urbis ornamentis abſtulit ſecum, ut ſuam Conſtantinopolim excultiorẽ redderet. Sed in navigatione Syracuſas appellens, ibidem mortuus eſt: ſpoliaq; omnia, quæ ſacrilegus Roma abſtulerat, in Ægyptũ translata ſunt à Barbaris, qui paulo poſt Imperatoris obitum in Siciliam venerant. Plus damni hic Conſtantinus intulit Vrbi ſeptem diebus, quibus Romę moratus eſt, quàm Gothi priùs ducentorum annorum ſpatio, quibus Italiam occupaverant. Statuas enim aureas, argenteas, eburneas, aheneas, & marmoreas, in quibus ſculptorum, artificumq; nobilium labos ſingularis, & toreumata ſpectabantur exquiſitiora, obeliſcos marmorum peregrinorum, & reliqua Vrbis ornamẽta præcipua navigiis auſportabat innumeris: ſed præda diu potiri non potuit: amiſſa vita cũ ſacrilegio. At Pantheum hoc (de quo nobis inſtitutus eſt ſermo) porticum habet, quæ tredecim columnis fulcitur, Thebaici vel Æthiopici marmoris duriſſimi, quod Ophite vocatur: nunc Granitum (ex quali lapide facti ſunt fere omnes Obeliſci majores: & columnæ illæ ingẽtes, quæ ſunt erectæ prope palatium Veneti Ducis: quãs nõnulli inepte, & imperite prodiderunt ex fuſili materia conflatas: quã artẽ cõficiendi lapides, ſicut & purpurę cõchillis modus, nobis injuria tẽporum periiſſe volũt. Poſtes, laquearia, & valvę, quæ ſunt vaſtiſſimæ in hac Pãthei porticu, ex ære deaurato cõſpiciũtur. Scalæ cochlides, quadrata & aperta ſtructura, uſq; ad tectum porriguntur: Ad quarum ſimilitudinẽ & normã aliæ ſunt erectæ in palatio Vaticano, ſed forma rotunda. De reliquis templis, quæ frequẽtia vidẽtur tã in urbe quã foris, heic de ſingulis verba facere nõ eſt mei inſtituti: cùm eorũ explicatio in immenſum produceretur: Et hujus libri ſecundo tomo ſubjũcturus ſum brevẽ topographiã, in qua declarabo ſingula ſingulorũ locorũ ornamenta, quo loco & ordine à peregrinis viatoribus, triduo vel quatriduo poſſunt perluſtrari. Superſedebo igitur huic labori, & ad alia me cõvertã, quæ ad hunc tractatũ facere vidẽtur.

Cùm apud antiquos tam Græcos quàm Latinos (ſicut & apud Ægyptios, & Hebræos factitatũ certũ eſt) ſumma ſemper fuerit ſepulturæ, & funerum reverẽtia: ſumptuſq; ingentes populi omnes profuderunt, in ſepeliendis mortuorũ corporibus: quę alii balſamo, precioſiſſimiſq; aromatib. cõdiebãt, exquiſitis & ſuperſtitioſis ceremoniis priùs exem-

terata,& omnibus repurgata excrementis,quæ putredinẽ admittebãt, inq; ſepulchris integra recõdebãt ſanctiſſime,ſicut in Ægypto,&in Italiæ ora Tyrrhena:ubi aliquãdo corpora invẽta ſunt illæſa ſed exſiccata, quibus continebantur phialæ,& volumina corticum,vel mẽbranarũ, notis diuerſis,&carachteribus hieroglyphicis plena:&hodie adhuc ex Ægypto advehuntur ad nos mortuorũ corpora exenterata,&balſamo medicata,q̃ Muniã vocant Chirurgi ac Medici:in horũ cõcavitate cælantur ſæpius parvæ ſtatuæ Canopi, cõfectæ ex terra ſatis fragili, & ſuperinducta neſcio quo maſtyce cyanei coloris, qui gemmæ(quã Turqueſcam vocamus)ſimilitudinem refert. Tota facies anterior in nonnullis,in aliquibus totus circuitus, hieroglyphicis notis tegitur, quæ ſuperſtitioſas aliquas ceremonias,ad defunctos ſpectantes continent, & myſteria ſecreta:quæ ſolis prophetis,ſacerdotibuſq; olim legi poterãt:erant n. carachteres hieroglyphici triũ generũ propherici, regii,& plebeii. Priores duo lectu difficiles erant: ultimum cõmune omnibus: licet hodie ad cognitionẽ paucorum perveniant. Cùm multis in locis Canopi ſtatuas viderim, nullã me adnotaſſe excellentiorẽ memini illa majori quæ in domo Marij Delphini ſervatur: facta ex ſimithe,vel ex balſathe lapide duriſſimo. Et aliam huic nõ minus admirandã ex terra, quã ſuperius recitavimus;quã ſervat vir clariſſimus Petrus Lepidus Metenſis,regiorũ negotiorũ ſummus Procurator,in ditione Mediomatricorum, Virdunenſium& Tulliorum:hanc tertio volumine inſcriptionũ inſerturus ſum:illa Delphini priori hoc libro extabit. Græci in ſuis funeribus,ſicut& Latini, ſuorum corpora non ſervabant aliarũ nationum more:ſed poſt Syllanam tyrannidem,& bella civilia, quibus corpora è monumentis extracta, per ludibrium ab inimicis trahebantur uncis & harpaginibus,laceraq; in cloacas, vel profluenta proiiciebantur:ut tam impia ſpectacula impedirent,cadavera mortuorũ rogis impoſita,ſolemniter in cineres redigebant: quos urnis aureis, argenteis, aheneis,marmoreiſve,vel fictilibus (pro cujuſvis cõditione & facultatibus)ſancte excipiebãt,& multis ceremoniis recondebant ſepulchris, ad hoc pietatis officium præparatis: cõmixtis cineri gemmis,auroq; in pulverem redacto,&imminuto:adjectis etiam aromatib,ſelectiſſimis, & amicorũ lacrymis. Hancq; poſtremã pietatẽ defunctis parentibus, conſanguineis,& amicis quanto poterãt apparatu, ſtudio, curaq; præſtabant,addentes funerib ſuorum ludos,encomia publica,& ſacrificia ſolennia,dijs Manibus &Inferis. Sepulchra quibus cineres claudebantur ornata erant epitaphiis, & diverſis inſcriptionibus, quibus defunctorum nomina exprimebantur,plerumq; mortis modus,ætatis anni, dies,& horæ,dona quæ ad aras quotannis conferebantur; & teſtamẽti explicabant ordinẽ. Exiſtimabantq; illa omnia maxime pertinere ad mortuorum animas:quibus hoc officio, & juſtis inferiis pandebãt iter

facilius

facilius per Acheronta ad inferos, & illis placabiliores reddebant Infernos judices Minoa Rhadamantũ & Æacum: ut ſine Eumenidũ flagris, incolumes ad Elyſios penetrarent cãpos, & poſt potũ Lethes, omnium prioris vitæ tædiorũ obliti, fruerentur æterna quiete: Conſulere quoq; ſe exiſtimabant conſolationi viventium, dũ deſiderium ſuum mitigabant, & dolorẽ minuebant cõceptum ex obitu eorum, quos habebant cariſſimos. Et hac officioſa, ultimaq; cura, benevolentiã poſtremã perſolvebant amicis, & vitã vita functis prorogabãt, memoriã illorum ad poſteritatẽ protendentes. Vetus ſane fuit hæc ubiq; ſuperſtitio: nihilq; remanſit tenatius inſculptũ mentibus hominũ, quàm curioſiſſimis inferiis, & ceremoniis funera ſuorum promovere: Memini cùm Romæ eſſem, & familiari colloquio intereſſem viri nobiliſſimi Marii Delphini Patricij Romani, & Titi Celſi Syracuſani: inter quos cũ facta eſſet mẽtio Teſtacei montis, quẽ erectum ex coacervatione vaſorum, & urnarũ fictiliũ in medio Circo Olympico videmus, rejecta opinione vulgari eorum, qui aſſeverebant eas urnas fuiſſe, in quibus tributa diverſarum nationum Romã transferebantur, & in eum acervum ſemper exponi ſolitas. Ridiculam ſententiã explodebant, & conjectura probabili ſtatuebant, illum montem uno eodemq; tempore evectũ, ex urnis funebribus, quas edicto publico, tã pij Pontifices, quàm Imperatores Chriſtianam doctrinã amplexi, jubebant eo conferri in unũ, & quaſi ſepeliri eodem in loco, cum reliquis funerũ ſacris inſtrumentis, quib. ad has ceremonias Idololatræ ſolebant uti: & ſimul eodẽ edicto cautũ fuiſſe, ne aliis ſacris & expiationibus uterẽtur populi, quàm Chriſtianis, Mirũ eſt illum montẽ, qui in circuitu plus quàm duo millia paſſuũ cõtinet, & in altitudine 160. pedes, conſtet tamẽ ex ſolis urnis funebribus, & integris: ut probatum eſt ab Antonio Lafrerio ſculptore Pontificio, qui ad latus hujus montis effodiẽs ſatis profunde, urnas novas, integras, & venuſto toreumate formatas invenit: quoq; altiùs fodiebat, eò vaſa magis extrahebat integra, eaq; ad cineres mortuorũ tantum accõmodata: ut teſtabãtur inſcriptiones aliquot, quæ vel in anſis, vel in ventre urnarũ ſculptæ legebantur: ex quibus duę tantum mihi ſuperſunt: quarum prima hoc continet. Diis Manib. Sexti ſalve, Sexti vale: Et alia, D. M. Livilla æternum parentis infelicis cõdolium, & deſideriũ. Neq; approbabant ſummi illi viri eorũ dicta, qui aſſerebant locũ illum fuiſſe deſtinatum figulis: qui frequentes habitabant ad Tyberis ripam: qui ne fluvii impedirent alveum, jubebantur rupta fictilia, & excrementa omnia in eum locum conferre: Non eſt probabile Circum illũ Olympicum, in quo ſe aſſiduo exercebat juventus Romana ludis equeſtribus, & aliis exercitiis militaribus, fuiſſe tam vili, & ſordido negotio deſtinatũ. Sed ut ſeſe res habeat, certum eſt totum illum immanẽ acervum, erectum eſſe ex vaſibus funebribus: quo probatur maximum fuiſſe eorum

uſum inter antiquos: & unũ quemq; magnum eorum numerum domi ſuæ præparatum habuiſſe ad funera: ſi modo verum ſit Pontificum, Imperatorumq, edicto cautum, & iuſſum eſſe, ut omnia uno tempore in unum locum conferrentur: eiuſq; rei memoriam pio ſilentio ſuppreſſam. Illi ſuam opinionem probẽt. Nihil interea certius fuiſſe conſtat, olim ab omnis conditionis hominibus profuſiſſimos ſumptus factos in inferiis ſolvendis, in ſepulchris ſtruendis; & in donis, quæ legabãtur ad ſacra pro defunctis, & epulas celebrandas: cum tantũ ubiq; videamus epitaphiorũ, ut nullus ſit urbis angulus, qui non poſſit producere magnum eorum numerum: & ut plurimum marmora ſunt peregrina, & maximæ æſtimationis: Idem quoq; factum legimus à Græcis, Aſiaticis, Ægyptiis, & aliis barbaris nationibus. Hinc illæ pyramides Ægypti ſtupendæ magnitudinis & architecturæ. Quarum prima à Chemmi rege, quadrata forma ſtructa eſt ante tria millia annorũ: continetq; una quæq; facies in ſua baſi 1680. pedes: alta (ſecundum Diodorum) ſex jugerũ: quæ efficiunt, 1440. pedes: cùm jugerum conſtet 240. pedibus. Belonus, qui noſtro tempore eas dimẽſus eſt, aſſerit hanc pyramidem Chemnis continere gradus 250. qui ſimul efficiũt pedes 800. Facta eſt hæc enormis ſtructura ex lapide Arabico duriſſimo, ut æternitatem promittere videatur. Omnium minimus ex iis lapidibus, triginta pedib. lõgior dicitur: erectaq; hæc moles loco arenoſo, quatuor à Memphi (quæ hodie Cairus vocatur) milliaribus, uno cum dimidio à Nili ripa. Secunda pyramis priore multo minor, ſed ex eodem lapide ſtructa eſt à Cepho Chemnis fratre: cuius facies unaquæq; in ſua baſi lata eſt pedes 625. & hæc ſolida eſt: cùm prima cõtineat intrinſecus cõcamerata loca: ac in medio ſepulchrũ ex marmore nigro confectũ. Et puteus effoſus eſt in introitu profundiſſimus, qui ad Nili altitudinẽ reſpondere dicitur, cum Pyramis utraq; in monte ſita ſit. Tertia Pyramis omniũ minima Mycerino regi tribuitur: vel ut alij malunt, ad Rhodopem meretriculã AEſopi fabulatoris conſervã referenda eſt: quæ meretricio quæſtu tantum collegit facultatũ, ut hanc pyramidẽ reliquis quidem minorem, ſed artificio atq; opere non inferiorẽ erigere ſit aggreſſa. Pars enim illius inferior uſq; ad altitudinem 22. pedum, facta eſt ex Baſalthe AEthiopico lapide, nigro & duriſſimo: ſuperior pars, quæ in acumen exſurgit, ex eodem lapide conſtat, quo duæ ſuperiores. Prope has pyramides erectũ eſt caput ingentis magnitudinis ex eodẽ Baſalthe, ſuper grandi baſi ex eodẽ lapide. In ſuo circuitu continet pedes 102. Plinius ſcribit fuiſſe Sphyngẽ humana facie, ſed leonino corpore: quæ à ventre ad altitudinẽ capitis cõtineret pedes 143. incertum eſt an hoc caput ejus fuerit Sphyngis, an alterius. Sphyges certe antiquitus ſepulchris adhiberi arcano myſterio docet experiẽtia, in tot epitaphiis, quæ adhuc Romanis in marmoribus conſpiciuntur. In eadẽ AEgypto Labyrinthus admirabili ſtructura fuit ædificatus, ad regũ ſepulchrũ,

de hoc Herodotus in Euterpe mentionem facit, illumq; præfert pyramidibus, reliquisq; omnibus operibus, quæ in Græcia spectantur: templis etiam Ephesio, & Samio. Diodorus dicit structum esse à Meni, sive Maroso rege, ut in eo sepeliretur: ad cujus formam Dædalus Athenicnsis alium in Creta Minoë regnante ædificavit, sed multo minorem, & artificio inferiorem.

Artemisia Halicarnassi regina Mausolo marito regi Cariæ post obitum erexit magnificentissimum sepulchrum: cui antea par non fuerat, neq; postea visum est. Tanto enim affectu virum complexa est, ut corpus in cineres redegerit; quos cùm non existimaret dignos qui putrescerent terra reconditi, hos potui commixtos deglutivit paulatim: ut corpus corpori dilecto jungeretur arctiùs. Convocavit interim artifices toto orbe celeberrimos, qui Cenotaphium erigerent congestis in unum facultatibus: Ædificium quadrata forma fuit: in circuitu 411. pedes continens, in altitudine cubitos 45. Hujus tam sumptuosæ structuræ architecti fuerunt Scopas, Bryax, Timotheus, & Leochares: qui singuli faciem unam Mausolei quadrati, quanta potuerunt arte, & exquisita sedulitate perfecerunt: horum autoritas, & experientia in sculpendo, tantum famæ tribuit operi, quantum impensæ, quæ factæ sunt à regina: His quatuor additus est quintus artifex nomine Pythis: qui quadratæ moli pyramidem addidit altitudine æqualem cum inferiore structura. Pyramis 24. graduum ordines continebat, ornata columnis ingentibus 36. Fastigium cujus sustinebat quadrigas, cum statua Mausoli ex marmore purissimo.

Hæc apud peregrinos ambitioso famæ studio fiebant: quibus Romani prono in gloriam affectu nunquam cesserunt. Augustus Cæsar ad imitationem Artemisiæ struxit Romæ sepulchrum amplissimum, in quo Cæsarum cineres reconderentur, quod Mausoleum vocavit: Ejus ruinæ videntur à posteriore parte templi S. Rochi, ad portam Flaminiam: & duo illi obelisci ex lapide ophite, qui fracti jacent in platea anteriore, fragmenta sunt superbi & vasti illius ædificii.

Tiberius Cæsar ex AEgypto curavit advehi Romam obeliscũ illum Vaticanum, qui hodie unicus erectus est & integer: in cujus summitate, globo deaurato, Iulii Cæsaris cineres repositi sunt: ut nostro tempore persuasum est.

In eodem Vaticano sepulchrum habuit Scipio, metam sive pyramidem diversis signis, & marmoribus insignem: cujus reliquiæ adhuc spectantur in pronao templi Vaticani, quod Paradisum vocant: ad cujus parietem Iotus pictor celeberrimus historiam Christi pinxit Mosaico opere claram. Scipionis sepulchri partes sunt, ingens nux pinea, quæ continet defuncti cineres, & pavones ænei deaurati.

Videtur & Pyramis alia integra, & erecta ex candido marmore

ad portam Ostiensem, mœnibus urbis inserta, qua testaceum montem spectant. In qua literis ampliſſimis Cestij nomen sculptum est: qui erat Collegij Epulonum magister, sive septemvir: quamvis hanc pyramidem totius Collegij sepulchrum nonnulli existimant: ut est verisimile: Privati hominis non esset tantos profundere sumptus, ad excitandum tanti precij sepulchrum.

Septimius Severus, ut aliquam sui memoriam celebrem relinqueret, monumentum erexit columnarum frequentia, & magnificentia spectabile: tanta altitudine, ut cætera urbis ædificia longe supereminere: continebat enim constagnationes septem (unde septizonium vocatum est) quarum tres tantùm hodie supersunt, longa annorum, & temporis injuria nutantes, & ruinam minitantes: reliquiæ extant ad templum S. Luciæ, sub colle S. Gregorij.

Inter cætera monumenta, quæ Romæ fuerunt celebria, Moles illa Hadriani Imperatoris facilè eminuit, ac nisi primum obtinuit locum, nulli certè alii secunda fuit. Hanc Imperator (ut erat vir ingenio mirabili, & laudis, perpetuique nominis unice studiosus) erexit, variisque marmoribus, signis, & columnis precioſissimis exornavit: in qua cineres Antoninorum servarentur. Ejus molis ornamenta postea detracta sunt, & ad ædificia publica sunt adplicata: dum arx in ea strueretur, quę hodie Castellum S. Angeli dicitur. Columnæ illæ templi veteris Vaticani, omnium quæ in tota Italia videntur specioſissimæ, sepulchri hujus pars sunt.

Longum esset annumerare ea omnia, quæ tam in urbe quàm extra urbem vidĕtur monumenta: nulla enim pars est, nullus locus, qui non trahat in admirationem spectantes: tanta ubiq; marmorum varietas, tanta columnarum frequentia, & sublimitas, tanta fornicum, & testudinatorum ædificiorum amplitudo, ut ab hominibus facta vix sit credibile. Inter quæ meritò reponi potest Cæciliæ Metellæ sepulchrum ad viam Appiam structum, quod Capo di boi dicitur: Id enim ex puriſſimo marmore albo factum est, forma rotunda, in turris ampliſſimę formam. In circuitu capitibus boum artificioſe concinnatis & sculptis distinctum. Quodq; in eo maxime mirandum est: artificio tam singulari composita est ea moles, ut Echo loquentium voces septies, & octies distincte & articulate referat: ut in exequiis, & funere, quod Creticus uxori solemniter celebrabat, ejulatus plorantiũ multiplicaretur in immensum: non secus ac si Dii Manes, & omnes Inferorum animæ fatum Cæciliæ illius commiseratæ, ex imo terræ continuis plangerent ploratibus, suumque dolorem testarentur communem, quem lacrymis viventium conjunctum esse vellent.

Hæc nobis ab antiquitate relicta sunt, tanquam signa & notæ illius splendoris & magnificentiæ, qua Romani non solum cæteras orbis

nationes,& monarchias æquarunt,ſed etiã ſuperiores evaſerunt. Epitaphiis plena ſunt omnia,tam in urbe quàm foris. Circa hæc enim plurimum curæ impenderunt antiqui: ut ejuſmodi ſignis, ſuos ad poſteritatem tranſmitterent humanitatis ac pietatis affectus. Quod non ſolùm in Italia factitatum videmus, ſed in toto terrarum circuitu, quocunq; ſeſe extendit Romanorum dominatio, & imperium. Vbique ſpectantur templorum, ararũ, ſacellorum, ſtatuarumq; dedicationes, columnæ,altaria,tabulæ, vaſa, quæ inſcriptiones edictorum, legum, ſenatus conſultorum,teſtamentorum,elogiorum,&epitaphiorum referũt. Quæ omnia ſummo ſtudio exquiruntur ab antiquitatis ſtudioſis:eaq; ingenti precio empta, ad ornatum ſuarum ædium, hortorum, & locorum publicorum applicant. Ac præ cæteris hanc ſtudii laudem ſibi vendicant Romani: qui nullis ſumptibus, nulli labori parcunt,ut hæc marmora coëmant,& locis cõmodis repoſita,comiter &humaniter proponant ſpectanda peregrinis, qui ſemper in eam urbẽ frequentes conveniunt. De ſummis Pontificibus, qui autoritate,potentia,& judicio valent,non eſt mirum,ſi circa talia multum operæ dederint:In quorum Palatio Vaticano conſpiciuntur,ſtatuæ, tanta arte, ac perfectione perpolitæ, ut inimitabiles noſtri temporis ſculptoribus exiſtimentur. Inter quas eſt Apollo Pythius,duæ Veneres,Cõmodus Imperator, Antinous, Mercurius, Cleopatra, & infinita alia ſigna:ſed admirandum illud Laocoontis ſimulachrum, cum duobus filiis,quos uno lapide Ageſander,Polydorus, & Athenodorus ſculptores celeberrimi cælarunt:inventum eſt in vinea Felicis civis Romani,non procul à Titi Thermis,anno dñi, 1506. Neq; mirum ſi Michaël Angelus Bonarotus Florentinus(ſculptorum & pictorũ qui à mille annis floruerunt longe primus)de his ſtatuis aliquãdo dixerit Paulo III. P. M. illas eſſe relictas ab antiquitate, nõ ut quiſquã eas imitaretur, ſed ut miraculo ſpectantibus eſſe poſſent; ut rerum periti agnoſcãt, aliquid divinitatis in antiquorum ingeniis reſediſſe;qui tantas res &aggreſſi ſunt,&perfecerunt ea arte,& induſtria, ut ipſam Naturam videantur æquare,vel etiam in aliquibus ſuperaſſe: Cum igitur huic Michaëli Angelo injunctũ eſſet, ut ſtatuam Laocoontis mutilam reficeret, recuſavit ſuam operam in hac re:ſed ne videretur Pontificis detrectare imperium,brachiũ,quod ſtatuæ deerat,ex gypſo indurato (quod Stuchum vocant) qua potuit arte perfecit,ſed non expolivit:ne videretur ſe conferre cum excellentibus illis Rhodiis artificibus,qui ſtatuam ſculpſerant.

Iulius III. de Monte,P M.poſt Pauli Farneſii mortem Pontificatum adeptus, hortos & vineam ſtruxit ad viam Flaminiam. Hanc ædificiis ſumptuoſiſſimis,Terminis, imaginib ſignis,& inſcriptionib.exornavit. Subterranei n. fornices elaboratiſſimi ibi viſuntur,ex quib.limpidi fontes manãt: in quibus dii marini colludentes cũ Nymphis,Cupi-

dines ſupervolitantes, ſatyri tripudiantes adplicati ſunt. Palatium anterius ſtratũ precioſiſſimis marmoribus, fultum columnis ingentibus & picturis exornatum præſtantiſſimis. Sed quid non liceret ſummis illis viris, qui rerum omnium copia affluunt, & ſemper ſtippati, & culti viris ſummo ingehio præditis, quorum cõſilio res gerunt: Eorum muneris eſſe debet, has antiquitatis reliquias, tanquam ſacroſanctas undiq; conquirere, & ad ornatum urbis conferre.

Horum exemplum ſecuti Cardinales meo tẽpore illuſtres Farneſii, Vallæus, Cęſius, Carpenſis, Bellaius, & alii nonnulli, cum Pontificibus decertare auſi ſunt de impenſis, & diligentia in cogendis in unum iſtis marmoribus. Et pleriq; ex patriciis & civibus: Quorũ unuſquiſq; pro ſuis facultatibus collegit undiq; ea omnia, quæ digna putarunt ad ornatum ſuarum ædiũ. Inter quos Collotii, Maphæi, Delphini, Buffali, & alii plurimi locum primum merito debent occupare. Quorum aliqui tanto ſtudio in horũ conſervatione flagrarunt, ut ex iis M. Caſale caput Iulii Cæſaris ſumma arte elaboratũ ſervat: quod poſteris ea cõditione poſſidendum reliquit, ut ſi id alienent, ſive dono, ſive venditione, Palatiũ in quo hæc ſtatua ſervatur, poſſeſſorem capitis ſequatur: Et Marii Delphini pater cippũ coemerat, qui ad vineã Traiani pertinebat, quẽ ut ſuo loco reſtitueret, vineam mercatus eſt ingẽti precio, quamvis ea non haberet opus: ſibi laudi ducens, ſi ad vineæ terminum reponeret antiquum cippum. Hæc ideo dico, ut cognoſcant lectores, quo ſtudio & cura Romani tam inſignia antiquitatis opera colant, & cuſtodiant.

At cum Romæ eſſem, collegeram fere omnia, quæ mihi videbãtur notatu digna eſſe: delineationem templorum ſingulorum, Arcuum, Thermarum, columnarum, ſtatuarum, ararũ, reliquorumq; ædificiorum, quæ tota urbe ſplendidiora judicantur, Epitaphiaq; omnia & inſcriptiones, quibus priſci temporis aliquod inſigne teſtimonium continetur: ruinaſq; antiquas, & fragmẽta ſingula, quæ paſſim tam privatis, quam publicis parietibus adpoſita ſpectantur: Ex quibus portiunculã tantùm apud me retinui, quam hoc libro primo & ſecũdo lectori propono: ut amicorum petitioni, & ſtudioſorũ antiquitatis voluntati ſatisfacere poſſem. Quibus utinam tempeſtiviùs obtemperaſſem; non mihi bellorum civilium violentia fuiſſent adempta, quæ tot annis, tot laboribus, & impenſis undiq; exquiſita in unum coacervaveram. Sed mea damna dum recitatione hac refrico, nihil aliud facio quam renovare triſte cordolium, & jacturam inæſtimabilẽ quam feci, quaq; angor & maceror aſſiduo, ſine ulla conſolatione: cum de juventutis meæ laboribus, nihil mihi fere remãſerit prẽter amiſſorũ deſideriũ Sed hęc prẽter rẽ fortaſſe. Reſtat ut quod mihi ſupereſt, diligẽtia majore caveã ne cũ cæteris tandẽ mihil depereat. Quod ne fiat Theodori Bryi Leodienſis

dienſis ſculptoris ingenioſiſſimi cura egregie cautũ puto. Libros enim duos inſcriptionum Romanarum cùm dedicaviſſem illuſtri viro Hermanno à Ghoër, Baroni dePeſche, hos Bryio ſculpendos tradidit: in quibus cum duobus filiis Theodoro & Iſraële, viris ſummo ingenio prædítis laborant jam aliquot annis. Abrahamus autem Faber Typographus Metenſis, homo vigilantiſſimus, & in ſua arte ſolertiſſimus, ea quæ præter ſculpturam requiruntur typis excudẽda ſuſcepit: Quod ſi mihi Dei benignitas vitam ſervet, addam & tertium librum, quo continebuntur aliquot inſcriptiones Italiæ, & aliarum regionum. Dico aliquot, propterea quòd ex plurimis, quas olim diverſis in locis Italiæ, Croaciæ, Forojulii, Stiriæ & Illyrici collegeram, vix mihi centeſima pars relicta eſt: quæ, ut prototypa erant, confuſis chartis relicta ſervabantur inter meos libros: Fragmenta tamen hæc iterum coacervata, & redacta in unum, juſtum volumen efficient: additis aliquibus Galliæ inſcriptionibus, quæ mihi à clariſſimo viro Paulo Cavallerio, & aliis amicis miſſa ſunt. His adjungam & quædam non indigna obſervatione, quæ noviſſime Metis inventa ſunt: Metæ enim (quas Tacitus Divodunum Mediomatricorum Vrbem vocat) multa habuerunt antiquitatis monumenta: quæ fere omnia deleta ſunt: & quicquid erat antiquum ad erigendam arcẽ collatum eſt. Fundamenta mœnium quæ ſunt ad Portam Campanam facta ſunt ex ingentibus ſaxis antiquis, in quibus inſcriptiones leguntur plurimæ, videnturq; infinitæ deorum, hominumq;, & animalium figuræ: Sed hæc omnia quia viſa ſunt ad arcem ſtruendam maxime idonea propter vicinitatem, quodq; lapides illi antiqui duriores eſſent, quàm ii, qui recẽter è lapidicinis eruuntur, ideo ſunt adplicata ſtructuræ Citadellæ ab architectis. Servata ſunt paucula in domo illuſtris Baronis Clerevantii, & clariſſimi viri Petri Lepidi Procuratoris regii; quæ cum cæteris à me reponentur in tertio libro: quibus adjungam & paucula quæ mihi miſſa ſunt Luxemburgo, excerpta è luculentiſſimis illis ædibus, quas illuſtris Comes Mansfeldius illic erexit: ut ſaltem ſi temporis injuria, bellorumq; inclementia ſubvertantur ædificia, poſſint hæc in bibliothecis alicubi reſervari, ne plane pereant.

Reliquum eſt igitur ut huic primo volumini præponam nonnulla, quæ ad interpretationem ſequentium facere poſſe judicavi: hac in re ſecutus exemplum reliquorum, qui hanc ſcriptionis materiam tractaverunt ante me. Excepi igitur ex Valerio Probo, & aliis, quicquid huic tractatui commodum, & neceſſarium viſum eſt: quod in ſequenti tabula propoſitum eſt ordine alphabetico.

VALERII PROBI GRAMMATICI DE NOTIS ANTIQVARVM LITERARVM.

CIRCA perſcribendas, vel paucioribus literis notandas voces ſtudium eſt neceſſarium: Quod partim uſu publico, & obſervatione communi fit, partim pro unius cujuſq; voluntate. Namq; apud veteres cùm uſus notarum nullus eſſet, ſcribendi facultatem, maxime in Senatu qui aderant, ſcribendo ut celeriter comprehenderent, quædam verba, & nomina ex communi conſenſu primis literis notabant: Quod nominibus, prænominibus, legibus publicis, Pontificum monumentis, juriſq; civilis libris etiã nunc manet. Ad quas notationes publicas acceſſit & ſtudioſorum voluntas; ut unus quiſq; familiares ſibi notas pro voluntate ſignaret: quas comprehendere infinitum eſt. Publicæ ſane tuendæ ſunt, quæ in monumẽtis plurimis, & hiſtoriarum libris, ſacriſq; publicis reperiuntur: ut P. Publius. C. Caius. M. Marcus. Cn. Cneus. Q. Quintus. Mar. Martius. TI. Tiberius. CL. Claudius. T. Titus. S P. Spurius. SEX. Sextus. S E R. Servius. OP. Opiter. A. V. C. Ab urbe condita. P. R. E. poſt reges exactos. P. C. Patres Conſcripti. S. C. Senatus conſulto. S. P. Q R. Senatus populuſq; Romanus. EQ. R. eques Romanus. V. R. Vrbs Roma. C. R. Civis Romanus. COL. Colonia, Coloni. S. N. L. ſocii nominis Latini. MVN. Municeps, Municipia. N. L. nominis Latini. L. C. Latini coloni, & ſimilia.

Secundum hæc Curiarum nomina, Tribuum, Comitiorum, Sacerdotiorum, Poteſtatum, Magiſtratuum, Præfecturarum, Sacrorum, Ludorum, rerum urbanarum, ponderum, menſurarum, juris civilis, & ſimilium proprias habent notationes.

Literæ singulares in Jure Civili, in Legibus, & Plebiscitis.

P.I.R.P.Q.I.S.I.F.P.R.E.A.D.P. Populum jure rogavit, populusque jure scivit in foro pro rostris, & ante diem pridie.

E.H.O.L N.R. Ejus hac omnibus lege nihilum rogatur.

S.R.L.E.I.C.Q.O.R.E. Si rem lex ex jussu causaq; omnium rerũ esto.

S.N.L. Socii nominis Latini.

L.P.C.R. Latini prisci cives Romani.

M.E.M.D.D.E. Municipibus ejus municipii dare damnas est.

C.E.C. Coloni ejus Coloniæ.

Q.E.R.E.F.D. Quod ejus rei esse factum dicetur.

L.I.D.A.C. Lex Iulia de adulteriis coercendis.

V.D.P.R.L.P. Vnde de plano recte legi possit.

A.A.A.F.F. Auro, argento, ære, flando, feriundo.

I.N.Q.Q. Iustis nuptiis quæsita, quęsitus, vel, Iustus nuncius quęsitus.

S.Q.SS.E.Q.I.N.S.R.F.H.L.N.R. Si quid Sacrosanctum est quod jure non sit rogatum, ejus hac lege nihil rogatur.

V.P.R. Veteri possessori redditum.

V.A. Veterano adsignatum.

V.F. Vsusfructus.

S.C.P.S. Senatus Consultum plebiscitum.

Q.D.E.R.F.P.D.E.R.V.I.C. Quod de ea re fieri placeret, de ea re universi ita censuerunt.

D.C.S. De consultis sententia.

Q.F.E.I.S.F. Quod factum est in Senatu fuerit.

S.Q.M.D.E.R.A.P.P.V.L.O.E.CONS.PR.TR.PL.Q.N.S.Q.E.V.A.P.P.V.F. Si quid me de ea re ad populum plebemve lati opus est, Consules, Prætores, Tribuni plebis, qui nunc sunt quod eius videbitur ad populum plebemve ferant.

S.F.S. Sine fraude sua.

In Actionibus.

A.T.M.D.O. Aio te mihi dare oportere.

Q.N.T.S.Q.P. Quando negas, te sacramento quinquagenario provoco.

Q.A.N.Q.N. Quando ais neque negas.

E.I.M.C.V. Ex jure manu consertum vocant.

S.N.S.Q. Si neget sacramento quærito.

S.S.C.S.D.E.T.V. Secundũ suam causam sicuti dixi ecce tibi vindicta.

Q.I.I.T.C.P.V.F.A. Quãdo in Iure te conspicio, postulo ut fias auctor.

T.I.A.V.P.V.D. Tempore judicem arbitrumve postulo ut dies.

I.D.T.S.P. In diem tertium, ſive perendinum.
A.L.Æ. Arbitrium liti æſtimandum.
Q.B.F. Quare bonum factum.

In Edictis Perpetuis.

I.D.P. Iuri dicundo præerit.
I.D.C. Iuris dicendi cauſa.
Q.R.F.V. Quod recte factum videbitur.
V.B.A. Viri boni arbitratu.
D.M.F.V.C. Dolo malo fraudisve cauſa.
I.D. Iudicium dabo, vel juriſdictio.
Q.E.R.E.T.P.I.R.D.TQ.P.DT.D.D.P.F. Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ judicium recuperatorium dabo, teſtibuſq; publice duntaxat decem denunciandi poteſtatem faciam.
Q.S.S.S. Quæ ſupra ſcripta ſunt.
Q.I.S.E. Quæ infra ſcripta erunt.
I.C.E.V. Iuſta cauſa eſſe videbitur.
N.K.C. Non calumniæ cauſa.
C.C. Conſilium cepit: vel, Cauſa cognita: vel Cauſa commiſſa.
F.C. Fraudare creditores: vel, Fiduciæ cauſa: vel, Fide commiſſum.
P.C. Patres Conſcripti: vel, Pactum conventum: vel, pecunia conſtituta.
V.C. Viri clariſſimi: vel, vir Conſularis.
C.V. Centum viri.
S.T.A. Sine tutoris auctoritate.
T.A. Tutore auctore.
F.E.D. Factum eſſe dicetur.
H.S. Hæc ſic: vel, Hic ſitus: vel, hora ſecunda.
Q.A.M. Quemadmodum.
Q.M. Quo modo: vel quo magis.
P.P.L.I. Pro prædictæ litis judiciis.
I.S. Iudicatum ſolvi.
C.E.D. Convictum eſſe dicetur.
P.DEL.V. Pro delictis vindiciarium.
M.F.P. Malæ fidei poſſeſſor.

NOTARVM DICTIONVMQVE AB-breviatarum interpretatio.

A.

A. Aulus.
A.F. Auli filius.
A.N. Auli nepos.
A. vel, AN. Anno.
ANN. Annis: vel Annos.
A.RA. MIL. FRV. A rationibus militaris frumenti.
ABD. Abdicavit.
ABN. Abnepos.
ADN. Adnepos.
ADIAB. Adiabenicus.
AD.TRIB.IVD. Ad tribus judicandas.
AD.AVG. TEMP. Ad Augusti tẽpora.
ÆD.CVR. Ædilis curilis.
ÆD.DESIG. Ædilis designatus.
ÆD.PL. Ædilis plebis.
ÆL. Ælius.
ÆM. Æmilia.
AGRIP. Agrippa.
ALÆ.I.PR.C.R. Alæ primæ Prætoriæ civium Romanorum.
V.AN.P.M. Vixit annos plus minus.
APP. Appius.
APP.E. Appellatus est.
ARG.P.X. argenti pondo decem.
AR.V.DD. Aram votivam dono dedit.
AVG. Augustus: vel, Augustalis.
AVG.LIB. Augusti libertus.
AVGG. Augusti de duobus.
AVGGG. Augusti de tribus.
AVG. CVR. R. P. Augustalis curator reipublicæ.
AVG.ET.Q.AVG. Augustalis, & quæstor Augustalium.
AVR. Aurelius.
AVG. augur.
AG. agit. AC. actio.
AM. amicus.
AM. N. amicus noster.
AVT. autoritas.
ADI.P. adjutor patriæ: vel provinciæ: vel populi.
AD.L. ad locum.
AD.F. ad finem.
AD.E. ad exactionem.
AB.V.C. ab urbe condita.
A.L.ÆS. arbitrium litis æstimandæ.
A.D.P. ante diem pridie.
A.B.V. à bono viro.
ABS, absolutus.
A.L, alia lex.
ÆR.COL. ære collato.
ÆR. ærarium.
AM.P. amabilis persona.
A.O. alii omnes.
ÆQ.P. æqualis persona.
ARM.P. arma publica.
A.A.L.M. apud agrũ locũ monumenti.
A.P.R.C. anno post Romam conditam.
ANN.XXXX. annis quadraginta.
ANN.IV. annis quatuor.
ANT.T.C. ante terminum cõstitutum.
A.A.A.F.F. auri, argenti, æris flati feriundi.
ADP. adoptivus.
A.CVB.AVGG. à cubiculo Augustorũ.
A.RAT. à rationibus.

B.

B.F.C. Beneficiarius Consulis.
B.F.PR. Beneficiarius Prætoris.
B. PR. PR. Beneficiarius Præfecti Prætorio.
B.TRIB. Beneficiarius Tribuni.
BF. Beneficium.
B. Bona. BR. Bonorum.
B F. Bona fide: vel bona fortuna.
B F.C. Bona fide contractum.
B M. Bonæ memoriæ.
B.M. Bene merenti.
B M.F. Bene merenti fecit.
B.M.P.C. Bene merenti poni curavit.
B.D.S.M. Bene de se merenti.
B.R.P. Bono reipublicæ.
BRIT. Britannicus.
B. Balbus.

BAL. Balbinus.
B.L. Bona lex.
B.C. Bonum conceſſum.
B.D. Bonum datum.
B.GR. Bona gratia.
B.I. Bonum judicium.
B.A. Bonam actionem.
B.P. Bona poſſeſſio: vel, bonorum poſſeſſor.
B.N. Bona noſtra.
B.P. Bona paterna: vel, bonũ publicum.
B.F. Bene fecit.
B.AVS. Bonis auſpiciis.
B AV. Bonis avibus.
B.V. Bonus vir: vel, bene vixit.
B.Q. Bona quæſita.
B.S. Bene ſatisfecit.
B.T. Bonorum tutor.
B.V.V. Balnea, vina, Venus.
B.F.P. Bona fide poſſeſſor.

C.

C. Caius.
C.S. Conſulum ſententia.
CL. Claudius.
CIP. Cippus.
CM. Comis.
CN. Cneus.
COR. Cornelius.
CÆS. Cæſar.
CÆSS. Cæſares.
CÆS. AVG. Cæſar Auguſtus.
C.F. Caii filius.
C.N. Caii nepos.
C.L. Caii libertus.
ↄL. conlibertus.
ↄL. Caiæ liberta.
7. Centuria: vel, centurio.
C.L. Centurio Legionis.
7 VET. Centuria veteri.
C.F. Clariſſima fœmina.
C.C.C. Calumniæ cavendæ cauſa.
C.R. Civi Romano, aut civium Romanorum.
C.S.H.C.S.S.V.T.L. communi ſepulchro heic ſiti ſunt, ſit vobis terra levis.
CAP. Capitalis.
CENT. Centurio.
CENS. &, CES. Cenſores.
COS. Conſul.
COSS. Conſules.

CL. CEL. Claudia celeia.
CL. VIR. clariſſimus vir.
CLASS. PR. Claſſis Prætoria.
CN. F. CN. N. Caii filius. Caii nepos.
CN. LO. Cneo Lollio.
COL. IVL. Colonia Iulia.
COL. FABR. Collegium Fabrum.
COM. DOM. Comes domeſticorum.
COM. HAB. C. Comitiorum habendorum cauſa.
COR. FLAM. Corrector Flaminiæ.
COS. DES. Conſul deſignatus.
CVR. COL. Curator Coloniæ.
CVR. KAL. Curator Kalendarii.
CVR. PP. Curator pecuniæ publicæ.
CVR. R.P. Curator Reipublicæ.
CVR. VIAR. ET. RIP. TYB. Curator viarum & riparum Tyberis.
COL. Coloni: vel colonia: vel collega.
C.E.C. Coloni ejus coloniæ.
CR. Creticus.
CN. ARR. Cneus Arrius.
CC. Conſilium cepit.
CC. Cauſa cognita.
C.V. Centum viri.
COM.B. Commune bonum.
C.C.C. Cenſa civium capita.
C.IVL.CÆS. Caius Iulius Cæſar.
CENS. A. Cenſoris arbitratu.
COH. Cohors. ↄ.L. Caiæ liberta.
ↄL.K. Conlibertæ cariſſimæ.
C N. Civis noſter.
CVR. Curionum, vel curiarum.
CEN. Centuria.
CENT. Centuriones.
CENS.P. Cenſor perpetuus.

D.

D. Dedicavit.
D.D. Dono dedit, & dedicaverunt.
D.CÆS. AVG. Divus Cæſar Auguſtus.
DEST. Deſtinato.
D.M.F.V.C. Doli mali fraudiſve cauſa.
D.PR. De precio.
D.P. Divus Pius: vel, diis Penatibus.
D. Devotus: vel, Decius.
D. Decimus.
D.F. Decimi filius.
D.L. Decimi libertus.
D. D. L. M. Donum dedit libens merito.

D.M.

D.M.S. Diis Manibus ſacrum.
D.N. Domino noſtro, &, DD. NN. IMPP. Domini noſtri Imperatores.
D.N.M.Q.E. Devotus numini majeſtatique ejus.
D.S.D. De ſuo dedit.
D.S.DD. De ſuo dedicavit.
D.S.P. De ſuo poſuit, De ſua pecunia.
D.S.P.F.C. de ſua pecunia faciendum curavit.
D.S.B.M.PON.C. de ſe bene merenti poni curavit.
D.S.IN.MIT. Deo Soli invicto Mithræ.
D.S.P.V.I.S.M.ET.L. De ſua pecunia votum idem ſolvit merito & libens.
DEC.ORN. Decuriæ ornamento.
DICT. Dictator.
DVC.DVC. Duce ducenario.
D.V. Devota virgo, vel, vir.
D.D. Dotis datio: vel, diis dantibus: vel dono dedit.
D.DD. Dono dedere.
D.G. Dedit gratis.
D.H. Donavit heredibus.
D.O. Deo optimo: vel, diis omnibus.
DEC. Decius.
DOT.P. Dotem petit.
D.F. Dotem fecit: vel, donum fecit.
D.M Dolum malum. vel, dubium malũ.
D.M. Domus mortui.
DIL. Dilectiſſimus.
DVL. Dulciſſimus.
D.Q.R. De qua re.
D.Q.S. De quo ſupra.
D.C.S. De Conſulum ſententia.
DIG.M. Dignus memoria.
D.PEC.R. De pecuniis repetundis.
D.T.S.P. Diem tertium ſiue perendinũ.
DR. Druſſus.
DIC.PER. Dictator perpetuo.
DL. Delego.
D.D D. Datus decreto Decurionum.
DEC.DEC. Decem Decani.
D.L.M. Donavit locum monumenti.
D.D.L.M. Dono dedit libero munere.
D.L.D.P. Diis locum dedit publice.
DOM. COS. XIII. LVD. SÆC. F. C. Domitianus Conſul decimo tertio ludos ſæculares faciundum curavit.

E

EQ.PVB. Eques publicus.
EQ.STAT.PVB.D. Equeſtri ſtatua publice donatus.
EQ.R. Eques Romanus.
E.A.D.CÆS.AVG. Ex autoritate divi Cæſaris Auguſti.
E.B.S. Ex bonis ſuis.
EX.D.D. Ex decreto Decurionum.
EX.D.ORD. Ex decreto ordinis.
EX.PR. Ex prædio.
EX.S.C. Ex Senatus conſulto.
EX.VOT. Ex voto.
EX. DECR. Q.F. Exemplum Decreti quondam facti.
E.Eſt. EE. Eſſe. ER. Erunt.
E.M. vel, E° M°. Ejuſmodi.
E.D. Ejus domus. E.H. Ejus heres.
E.L. Edita lex.
EMP. Emptor.
EQ.ORD. Equeſtris ordinis.
E.F. Ejus filius.
EX. DOM. AVG. Ex domo Auguſtorum.

F.

F. Filius.
F.vel. ƒ. Filia.
F.FAM. Filiusfamilias.
FR. Fratres.
FR.F. Fratris filius.
FOR.F. Forti fortuna.
FOR.I. Forum Iulium.
FOR.L. Forum Livium.
FOR.SEMP. Forum Sempronii.
F.F.F. Fortior fato fortuna.
FOR.RED. Fortunæ reduci.
F.M. Fieri mandavit.
F.M.I. Fati munus implevit.
F.C. Fidei commiſſum: vel, fiduciæ cauſa: vel, fraude creditoris.
F.C. Fecerunt: vel, fundaverunt: vel, fabricaverunt.
F.E.D. Factum eſſe dicitur.
FR. Fronte.
FL. Flavius.
FLAM. Flaminius.
FACC. vel, F.C. Faciũdum curavit.
F.D. Fide data.
F.I. Fieri juſſit.
F.N.C. Fidei noſtræ commiſit.
F.V.C. Fraudiſve cauſa.

FABR.COL. Fabrum collegium.
FAB. Fabius.
F. H. Filius heres.
FVL. Fulvius.
F.POM.TER.P.C.R.R.P. CCC. Fines pomœrii terminavit proximo cippo ruderibus rejectis pedes trecentos.
FER.LAT.C. Feriarum Latinarũ causa.
FEC. Fecialis.

G.

G.F Geminæ fidelis.
GEM.L. Gemina Legio.
GER. & GERM. CÆS. Germanicus Cæsar.
GR. Gesserunt.
G.R. Genus regium.
GL. Gloria.
GL.P. Gloria parentum: vel, patriæ: vel populi.
GL.EX.R. Gloria exercitus Romani.
G.L.S. Genio loci sacrum.
G.AVG. Genio Augusti.
GL.N.L. Gloria nominis Latini.
GL.R. Gloriæ Romanorum.
GL.P.R. Gloria populi Romani.

H.

H. Heres: vel, hereditas: vel, hora: vel, honor.
H.V. Honestus vir.
H.F.N. Honesta familia natus.
H.L.N. Honesto loco natus.
H.S. Hora secunda: vel, hoc sit.
H.F. Heres fecit.
H.F.C. Heredes faciũdum curaverunt.
H.B.M.F.C. Heres bene merenti faciundum curavit.
H.A.I.REM. Honore accepto impensam remisit.
H.A.H.N.S. Hæc ara heredes non sequetur.
H.E.T.F.C. Heres ex testamento fieri curavit.
H.M.H.S. Hoc monumentum heredes sequetur.
H.M.H.E.N.S. Hoc monumentum heredes exteros non sequetur.
H.M.D.M.A. Huic monumento dolus malus abest.
H.M.S.S.E.H N.S. Hoc monumentum sive sepulchrum est, heredes non sequatur.
H.S.E. Heic situs est.
H.S.S. Heic siti sunt.
N.V.S.R. Honore usus sumptũ remisit.
H.M.AD.H.N.TRAN. Hoc monumentum ad heredes non transit.
H.I. Hereditario jure.
H.L.D. Hunc locum dedit.
H.L.S.E. Hoc loco sepultus: vel, situs est.
H.B.F. Homo bonæ fidei.
H.S.V.F.M. Hoc sibi vivens fieri mandavit.

I.

I.O.M.S. Iovi optimo maximo sacrum.
I.O.M.E.IVN.REG.ET G.LOCI. Iovi optimo maximo: & Iunoni Reginæ, & Genio loci.
I.S.C. Iudex sacrarum cognitionum.
I.S.S. Infra scripta sunt.
I.D. Iure dicundo.
I.In. I.Inter. ID. Interdum.
I.P. Intra provinciam.
I.L. Intra limites.
I.T.C. Intra tempus constitutum.
IM.ANN.IV. Immunis annis quatuor.
IM.II.HON.IIII. Immunis iterum, honoratus quartum.
IMP. Imperator.
IMPP. Imperatores duo.
IMPPP. Imperatores tres.
I.A.P.X.IN.F.P.IIX. in agro pedes decem, in fronte pedes octo.
IN.H.DOM.DIV.DD. In honorem domus divinę dedicarunt.
IN.H.M. In hoc magistratu.
IN.MM.E. In magistratu mortuus est.
IN.E.L.F.E. In eius locum factus est.
IN.PR.O.E. In prælio occisus est.
IN.SING.H. In singulos homines.
IN.TVT. In tutelam.
INF.ÆR.PP.L.X. Inferat ærario Pontificum libras decem.
II.VIR. Duumvir: vel, II. VIR. II.V. DD. Duumviris dedicantibus.
IVL. Iulius. IVL F. Iulii filius.
IVL. L. Iulii liberta.
IVR.DIC. Iure dicundo.
IVR.REG. iurisdictio regionis.
I.P. jus Pontificum: vel, in possessione.
I.L.S. in loco sacro.
I.S.S. inferius scripta sunt.
I.L.D. in loco divino.

I.E. Iudex esto.
I.L.P. In loco publico.
I.P. Iustus possessor.
I.S. Iudicio Senatus. vel, judicatum solvit.
I.S.C. In Senatus consulto.
IN.FO.CÆS. In foro Cæsaris.
I.F.P. In foro Pacis.
I.F.T. In foro Traiani.
IN.F.B. In foro Boario.
I.R. Iure Romano: Iure rogavit.
IN.F.P.R. In foro pro rostris.
I.N.Q. Injustis nuptiis quæsitum.
I.D.P. Iuri dicundo præfuit.
I.D.C. Iuris dicendi causa.
I.C.E.V. Iusta causa esse videbitur.
I.D. Inferis diis.
I.S.R. In Senatu Romano.
I.L. Iure legis.
I.F.I.A.V. In fronte in agro versus.

K.

K. vel, KAL.IAN. Calendis Ianuariis.
K.QVINT. Calendis Quintilibus.
KAL.SEXT. Calendis Sextilibus.
K.D. Capite diminutus.
K.C. Capite census.
K.P. Cardo positus.
K.F. Cardo finalis.
KA.PER. Castra peregrina.
KA.DD. Castra dedicarunt.
K. Carissima.
K.CONT. Caro contubernali.
K. Candidatus.

L.

L. Lucius.
L.T. Lucius Tacitus & legem tulit.
L.F. Lucii filius, vel, Lustrum fecerunt.
L.C. Lucius Cornelius, vel, Lege cavetur.
L.M. Lucius Murena.
LC.SACR. Lucrum factum.
L.D. Locum dedit. Locum dedicavit.
L.E. Locus emptus.
L.P. Loco proprio.
L.Q.S. Loco qui supra.
L.C. Latini Coloni.
L.S. Laribus sacrum.
L.P.C.R. Latini Prisci, cives Romani,
L.D.D.D.E. Locus decreto decurionum datus est.
L.A.D. Locus alteri datus.
L.E.D. Lege ea damnatus.
L.M.A.H.T. Locus monumenti ad heredes transit.
L.P. Lege punitus.
L.R. Lex Romana.
L.V. Lex vetat.
LG.D. Legem dedit.
L.T. Legem tulit.
L.D.B.D.S.M. Locum dedit bene de se merenti.
L.AGR. Lege agraria.
L.IVL. Lex Iulia.
L.VOC. Lex Voconia.
L.CIN. Lex Cincia.
LIB. Libertus.
L.L. Lucii libertus.
LEG.X. Legio decima.
L.PVB. Loco publico.
L.P.R. Loco privato.
L.D. Locum dedit.
L.H.D.DD. Locũ hunc diis dedicavit.
L.P.D. Locus publice datus.
L.SACR.D. Loco sacro dicatum.
LG. Legavit.
LVD.MAT. Ludus matutinus.
LVD.AP. Ludi Apollinares.
LVD.EQ. Ludi equestres.
L.L.Q.F. Lucius Luceius Quinti filius.
L.C. Locus concessus. vel, loco cõcesso.
L.D.S.P.D. Locum de sua pecunia dedit.
L.D.D.S. Locus datus decreto Senatus.
L.D. Libens dedit.
L.LQ.PQ.E. Libertis libertabusque posterisq; eorum.
L.P.V.LAT.P.III. Longum pedes quinque latum pedes tres.
LEG. Legatus. vel, legio. vel, legavit.
LEG.LEG. Legatus legionis.
LEG.PR. Legatus provinciæ.
LEG.VII.CL.GEM.P.FIDEL. Legionis septimæ Claudiæ Geminæ piæ fidelis.
L.S.S. Legionis supra scriptæ.

M.

M. Marcus, Miles, Mensis.
M.F. Marci filius.

M.COH. Miles Cohortis.
MVN. Municipium, vel, municeps.
M.E.M. Municeps ejus municipii.
MAG.EQ. Magiſter equitum.
MAG. Magiſtratus.
M.L. Monumenti locus.
M.D.M.I. Magnæ deum matri Ideæ.
M.F.C. Monumentum fieri curavit.
MAG. ET. DEC. Magiſtris & decurionibus.
MAG.VIC.P. Magiſter vici Pacis.
MAG. VIC. SAND. Magiſter vici Sandaliaris.
MAG. QVIN. COLL. FABR. TIGN. Magiſtri quinquennales collegii fabrum tignariorum.
MAG. X. VIR. Magiſter decemvirum.
MIL. ANN. XXXIV. Militavit annos triginta quatuor.
MIL. COH. III. Miles Cohortis tertiæ.
M.LEG.SS. Militi legionis ſup. ſcriptæ.
MIL.CL.PR. Miles claſſis Prætoriæ.
M.C. ET. CONS. Monumentum condidit & conſecravit.
M.X.V. Menſes decem vixit.
M.C.P.C. Memoriæ cauſa poni curavit.
MER.S. Mercurio ſacrum.

N.

N. Nonius, vel, Nepos, vel, Natione.
N. Nautarum.
N.MON. Novum monumentum.
NAT.GAL. Natione Gallus.
NQ. Nuſquam.
NON.TRAS.H.L. Non tranſilias hunc locum.
NVM. DOM. AVG. Numini domus Auguſti.
NR. Nero. Neratius.
N.L. Nominis Latini, vel, Non licet.
N.K.C. Non calumniæ cauſa.
NOB. Nobilis.
NON. Nonarum.
N. Numus. Numiſma. vel, Noſter.
N.F.C. Noſtræ fidei commiſſum.
N.F.N. Nobili familia natus.
N.G.N. Nobili genere natus.
N.MACR. Nonius Macrinus.
NEP.CONT.NAVT.S. Neptuno contubernio nautarum ſacrum.
NAT. Natalia.
NAV. Naves. NVP. Nuptiæ.
NEPTVN. Neptunalia.
NEG. Negotiantes.

O.

OP. PR. Optimo Principi.
OPP. Oppidum, vel oppidani.
OB.C.S. vel, OB. CIV. SER. Ob cives ſervatos.
O.D.S.M.P. Optime de ſe merenti poſuit.
OB. Obiter.
O.E.F.Q. Oſſa ejus feliciter quieſcant.
OR. CI. Ornato civi.
E.O.H.S.S. Ejus oſſa heic ſita ſunt.
OR.MIL. Ordo militum.
OB.M.E. Ob merita ejus.
OB.M.P.E. Ob merita pietatis eius.
OB.HON. AVG. Ob honorem Auguſtalitatis.
OB. AN.V.XCI. Obiit anno vitæ nonageſimo primo.
OFF. FAB. FER. Officinæ fabrum ferrarium.
ORD.RET. Ordine retrogrado.
ORB.PAR. Orbati parentes.

P.

P. Pontifex. Pater, Publius. Poſuit.
P.R. Populus Romanus.
P.F. ET. P.N. Publii filius, & Publii nepos.
P.ɔL. Publii conliberta.
P.COL. Patrono Coloniæ.
P.D.S.IM.C. Ponendum de ſua impendia curavit.
P.C. Poſt conſulatum.
P.F. TR. AVG. Pius felix triumphator Auguſtus.
P.M. vel, PONT. MAX. TRIB. POT. Pontifex maximus Tribunicia poteſtate.
P.P. Pater patriæ, vel, pecunia publica. vel, publice poſuit.
P.P.P. Præfectus prætorio Provinciæ.
P.H.C. Prætor Hiſpaniæ citerioris.
PP. H. T. Præſes provinciæ Hiſpaniæ Tarraconenſis.
P.DD. Publice dedicatum.
P.D.D.K.IAN. Poſita decreto Decurionum Calendis Ianuariis.
P.R. Populus Romanus.
P.S.F. Pecunia ſua fecit.
PART.MAX. Parthicus maximus.

PAT.COL. Patrono Coloniæ.
PEC. vel PEQ. S. DD. pecunia, vel pecunia sua dedicavit.
P.I.R. Populum jure rogavit.
P.S.P.Q.S. posuit sibi posterisq; suis.
PS. Plebiscitum.
PR. Prætor.
PRR. VRBB. Prætores urbani.
PERT. Pertinax.
PL. TR. Plebis Tribunus.
P.C. vel PP.C. patres conscripti.
P.C. pactum conventum.
P. C. pecunia constituta, vel, patrono Coloniæ.
P.K.SEXT. vel, PR. KL. pridie calendas Sextilles.
PRON. Pronepos.
PR. ID. pridie Idus.
PR.S. prætoris sententia.
P.R.E. post reges exactos.
PROC. Proconsul.
P.M. Pontifex maximus.
PROCOSS. Proconsules.
P. M. Principi militum poni mandavit.
PR. PER. prætor peregrinis.
PR. IVVET. principi juventutis.
P. ÆL. AVG. LIB. Publius Ælius Augusti libertus.
PR. Præses.
PRSS. Præsides.
PRÆF. VIGIL. Præfectus vigilium.
P. S. F. C. proprio sumptu faciundum curavit.
POST. Postumus.
POST. LIB. Postumi libertus.
PR.K. Prætori candidato.
PR.Q. Prætori Quæstori.
PR. PR. Præfectus Prætorio.
PR.I.D. Præfectus juri dicundo.
PR. ÆR. Præfectus ærario.
PRO.COS. Proconsul.
PRON. Pronepos.
PRO. XX HER. Procurator vigesimæ hereditatum.

Q.

Q. Quintus. Quinctius. Quæstor.
Q. Quæstori.
Q.S.S.S. Quæ supra scripta sunt.
Q. ALIM. Quæstori alimentorum.
Q K. Quæstori candidato.
Q.PR. Quæstori provinciæ.
Q. VRB. Quæstori urbano.
QVÆSS. Quæstores.
Q.R.F.E.V. Quod recte factum esse videbitur.
Q.N.A.N.N. Quando neque ais, neque negas.
Q.B.F.E. Quare bene factum est.
Q.E.R.E.V. Quati ea res esse videbitur.
Q.B.M.V. Quæ bene mecum vixit.
Q.V.M.A.XXIX:S.OF. Quæ vixit mecū annis viginti nové sine offensa.
QQ.PP. Quinquennalicii perpetui.
Q.INF.SC.S. Qui infra scripti sunt.
Q HH.SS. Qui heredes sunt.
Q.D.E.R.F.P.D.E.Q.I.C. Quod de ea re fieri placuit, de ea re ita cēsuerunt.
IIII. VIR. Quadrum vir.

R.

R. Roma.
R.V. POM. TER. Romanæ urbis pomœria terminavit.
R.G.C. Rei gerundæ causa.
R.P.C. Reipublicæ causa.
R.P.C.C. Reipubl. constituendæ causa.
REM.PVBL. N. Rempubl. nostram.
R.L.P. Recte legi possit.
RET.P.XX. Retro ped. viginti.
R.R.P.C.TER. Ruderibus rejectis proximo cippo terminavit.
R.M. Rei militaris.
R.C. Romana ciuitas, vel Rom, cives.

S.

SP. Spurius.
SP.F. Spurii filius.
SP.N. Spurii nepos.
SER. Servius, vel Sergius.
SEX. Sextus.
S.C. Senatus consulto.
S.D. Sententiam dixit.
S.N.L. sociis nominis Latini.
S.F.S. sine fraude sua.
S.T.A. sine tutoris autoritate.
S.P.Q.R. Senatus, populusq; Roma.
S.N.S.Q. si negat sacramento quærito.
S.S.C. secundum suam causam.

SL. Sacrorum Ludorum.
S S. ſacri ſcrinii.
S.P. ſacri Palatii.
ST. MIS. ſtipendio miſſus.
S.P.D. Salutem plurimam dicit.
S.S.S. Silvano ſancto ſacrum.
S.P.S.P.S.P.C. ſua pecunia ſibi poſteriſq; ſuis poni curavit.
S.C.F.E. Senatus conſultum factum eſt.
SS. ſanctiſſimus.
S. ſacrum, vel ſacellum.
SIC.V. ſicut voluit.
SS. Senatus ſententia.
SEP.SEV. Septimius Severus.
S.L.M. Solvit lubens merito.
IIIIII. VIR. AVG. Sevir Auguſtalis.
S.S.S. ſupra ſcriptæ ſummæ.
S.P.F.C. ſua pecunia fieri curavit.
S.S.P. ſuo ſumptu poſuit.
S.V.P. ſibi vivens poſuit.
SAC. Sacerdos.
S.P.P.S. ſacris publicis præſto ſunt.
SARM. Sarmaticus.
SER. COL. ſervii colliberta.
SERT. Sertorius.
SED.S.C. Seditionis ſedandæ cauſa.
SEV. AVG. ſeviro Auguſtali.
SEXT. Sextilis menſis.
SING.*II. ſingulis denarios binos.
SPEC. LEG. ſpeculator Legionis.
STIP. ſtipendio, vel ſtipendiavit.
ANN. VI. annis ſex.

T.

T. Titus.
TI. Tiberius.
TVL. Tullius.
T.A. Titus Annius.
T.A. Tutore autore.
T. Turma.
T. AVG. Tutelæ Auguſtæ.
T.F.I. Teſtamento fieri juſſit.
TR.PL. Tribuni plebis.
TR.MIL. Tribunus militum.
TR.ÆR. Tribunus ærarii.
TR.POT. Tribuniciæ poteſtati. vel Tribunicia poteſtate.
TR.CEL. Tribunus Celerum.
TR.V.MON. Triumviri Monetales.
TR.V.CAP. Triumviri Capitales.
TER. DD. terminum dedicavit.
T.C. Teſtamento cavetur.
TR.LEG.II. Tribunus Legionis ſecundæ.
TR.AM. trans amnem.
TVT. tutor, tutela.
T.P. titulum poſuit.

V.

V.R. Vrbs Roma.
V. Volerus, vel Voluſus.
V.A. Veterano adſignatum.
V.F. uſusfructus.
V.PR. Vrbi Præfectus.
V.F.S.C. vivens fieri ſibi curavit.
V.F.S.E.S. vivens fecit ſibi & ſuis.
V.P. vir Patricius.
V.C. vir Conſularis, vel vir Clarus.
V.S. votum ſolvit.
V.DD. voto dedicatum.
V.S.C. votum ſolvi curavit
V.S.I. vice ſacra judicans.
V.B.A. viri boni arbitratu.
V.P.R. veteri poſſeſſori redditum.
V.PR. vir Prætorius.
V.DICT. vir Dictatorius.
V.VRB. vir Vrbanus.
VI. VIR. vel IIIIII. Sextum vir.
V.P. vivens poſuit.
V.S.L.S. vivens ſibi locum ſtatuit.
V.ANN.XXII.M.VI.D.V. vixit annos viginti duos, menſes ſex, dies quinque.
VAL. Valerius.
V.B.F. vir bonæ fidei.
V.C. Vrbis conditor.
VIR.VES. virgines Veſtales.
V.NON. quinto nonas.
VET. LEG. II. veteranus Legionis ſecundæ.
VI.VIR.EPVL. ſevir, vel ſextum vir Epulonum.
VIII.VIR. Octumvir.

X.

X. VIR. Decemviri.
XV. VIR.S A C.F A C. quindecim viri ſacris faciundis.
XX. vigeſimæ hereditatum.

DE NOTIS NVMERORVM.

Antiqui notis his numerorum usi sunt, quæ hodie ex bona parte desierunt, ex quo tempore notæ illæ (quas schiffras vocamus) in usum venerunt.

I.	1.	XX.	20.	C.	100.
IV.	4.	ⅩⅩ.	30.	CD.	400. CↃ.
V.	5.	XL.	40.	D.	500. vel, IↃ.
IIIII.	6.	L.	50.	DC.	600.
IIX.	8.	LX.	60.	DCC.	700.
IX.	9.	L ⅩⅩ.	70.	M.	1000. vel ∞.
X.	10.	XXC.	80.	vel CIↃ. vel	

Omnes enim numeri, omnisque summa harum notarũ accessione crescunt, detractione decrescunt.

Prima nota, I si cui notæ præponatur, id est ponatur à tergo, unum detrahit, ut IV. quatuor, IX. novem, IIX. octo.

At si linea transversa super imponatur notis, eas notas tot millia continere innuit, quot alioqui minores numeros contineret: exempli gratia, $\overline{\text{III}}$. significat tria millia: $\overline{\text{VII}}$. septem millia: $\overline{\text{X}}$. decem millia; & ita de reliquis iudicandum est.

∞ IↃↃ.	4000. significat.
$\overline{\text{V}}$. vel, ⅭↃ. vel, IↃↃ. vel, IↃ.	5000.
$\overline{\text{L}}$. CCIↃↃ. vel, ⋔ vel, ⋔IↃ. vel, CCIↃↃ.	10000.
⋔ h.	Quindecim millia.
⋔⋔ vel, ⋔⋔.	Viginti millia.
$\overline{\text{L}}$. IↃↃↃ. vel, IↃↃↃ.	Quinquaginta millia.
$\overline{\text{C}}$. CCCIↃↃↃ. vel, CCCIↃↃↃ.	Centũ millia.
IↃↃↃↃ.	Quingenta millia.
$\overline{\text{M}}$.	Mille millia.
CCCCIↃↃↃↃ.	Decies centena millia.

PONDERVM NOTÆ.

S. Semis alicuius rei.
L. Libra: vel Nummus libralis.
LS. Libra cum semisse.
LL. Dipondius duarum librarum.
LLL. Tripondius trium librarum.
LLS. Sestertius, duarum librarum semis.
⁎. Denarius.

DE PONDERIBVS ROMANIS.

LIBRA, pondo, As ſiue Aſſis, inter minora pondera eſt maximum: inter maiora autem minimum: Continetque vncias duodecim.

Romani confecerunt omnia maiora põdera ex libra & pondo: niſi quod interdum à libra libralis, hoc eſt, vnius libræ dixerunt: item bilibris, trilibris, & quadrilibris: hoc eſt duarum, trium, & quatuor librarum. Sic à vocabulo pondus venit dupondius, duorum ponderum. Aſſipondium, quod vnum pondus (nam As erat libræ pondus) & centipondium, centum librarum dicebatur.

A pondo quoque duapondo, & trepondo, quod duo & tria pondo continerent, dixerunt antiqui.

Pondo igitur ſi ſolum ponatur, libram vnam notat. Si alteri ponderis vocabulo adiicitur, pondus ſimpliciter ſignificat: vt in his: pondo vncia, pondo ſemiuncia: vt à libra & vncia, & aliis, cum menſuræ ſunt, diſtinguatur.

Libræ partes ſunt, uncia per ſe. ſextans, duæ unciæ: quandrans, tres unciæ: triens, quatuor: quincunx quinque: ſemis ſex, quæ etiam ſelibra dicitur: ſeptunx, ſeptem unciæ: Bes, octo unciæ. Dodrans, novem unciæ: dextans, decem unciæ: deunx undecim unciæ.

Libra in æquas partes ſic dividitur, in ſemiſſes duos: in trientes tres: in quadrantes quatuor: in ſextantes ſex: ſeſcuncias octo, & uncias duodecim.

Libra in partes impares diuiditur ſic. In deuncem & vnciam: in dextantem & ſextantem: in dodrantem & quadrantem: in beſſem & trientem: in ſeptuncem, & quincuncem.

Rurſum libra in alia minora pondera, in has æquas partes diuiditur. In ſemuncias XXIIII. duellas XXXVI. ſicilicos XLVIII. ſextulas LXXII. denarios LXXXIIII. victoriatos CLXXVIII. ſcriptula CCLXXXVIII.

Selibra, ſiue ſemis, diuiditur in quadrantes II. ſextantes III. ſecũcias IIII. vncias VI. ſemiuncias XII. duellas XVIII. ſicilicos XXIIII. ſextulas XXXVI. denarios XLII. victoriatos LXXXIIII. ſcriptula CXLIIII. Aliæ partes libræ, ex vnciæ diuiſione colliguntur.

Vncia, ſecatur in ſemuncias II. duellas III. ſicilicos IIII. ſextulas VI. denarios VIII. victoriatos XIIII ſcriptula XXIIII.

Semuncia, in duellam cum dimidia: ſicilicos II. ſextulas III. denarios III. cum dimidio: victoriatos VII. ſcriptula XII.

Duella, in ſicilicum vnum, & eius tertiam: in ſextulas II. denarios II. & eius tertiam: victoriatos quatuor cum dimidio, & tertiam dimidii: in ſcriptula octo.

Sici-

Sicilcus, in denarium cum dimidio, & ejus quartam: in victoriatos tres cum dimidio: & in ſcriptula ſex.

Sextula, in denarium, & ſextã ejus: in victoriatos duos, & ejus tertiam: & in ſcriptula quatuor.

Denarius, in victoriatos duos: ſcriptula tria, & tres ejus ſeptimas: in ſextantes ſex: ſicuti & drachma apud Atticos, in totidem obolos diſtribuitur.

Victoriatus, in ſcriptulum unum cum dimidio, & tres decimas quartas ſcripturi.

Scriptulum, quod hodie ſcrupulum dicitur, vel denarius, cõtinet partes, quas ex Græcorum ponderibus intelligemus.

DE ASSE PRO PEDE.

PES in ſpatiis & continuata quantitate, idem eſt quod as in ponderibus: Veteres uſi ſunt Aſſe, & partibus ejus, pro pede & ejus partib.

Pes igitur dividitur in uncias ſive pollices XII. ſive digitos XVI. & hanc menſuram digitorum duodecim Græci vocant Spitamen.

Palmus digitos cõtinet quatuor: reliqua petẽda ſunt ex Aſſis diviſione.

Iugerum diuiditur eodẽ modo: cujus minima pars vocatur ſcrupulũ: continetq; pedes decem: eſtque ut teſtatur Varro, longitudine ac latitudine quadratum.

DE PONDERIBVS GRÆCORVM.

præſertim Atticorum.

TAlentum fuit duplex minus & majus: ſive magnum & parvum.

Talentum parvum continet minas LX. magnum autem LXXX.

Talentum Babyloniorum drachmas valuit VII. AEgineum valuit X. Syrium M. D. Atticæ drachmæ æſtimatione: fuit & Euboicum fere cum Attico idem.

Talentum igitur Atticum parvum diſtribuitur in minas LX. drachmas $\overline{\text{VI}}$. obolos XXXVI. ſemiobolos LXXII. chalcos CCXVI. lepta MDII.

Mina quoq; fuit duplex vetus & nova: vetus continebat drachmas ſeptuaginta quinque: nova valuit centum drachmis.

Mina igitur nova drachmas C. continuit: obolos ſexcẽtos: ſemiobolos mille ducentos: chalcos $\overline{\text{III}}$DC. Lepta (quæ à nonnullis minuta dicuntur) $\overline{\text{XXV}}$CC.

Drachma dividitur in obolos ſex: ſemiobolos duodecim: chalcos ſive æreolos triginta ſex: lepta ducenta quinquaginta duo.

Obolus diſtribuitur in ſemiobolos duos; chalcos ſex: lepta XLII.

Semiobolus in chalcos tres: lepta viginti unum.

Chalcus in lepta ſeptem: lepta vix dividi poſſunt.

EORVMDEM PONDERVM MEDICA DIVISIO, quæ & Græca: cum majora in minora tribuuntur.

Mina dividitur in uncias XVI. drachmas CXXVIII. ſcriptula CCCCLXXXIV. obolos DCCLXVIII. ſemiobolos MDXXXVI. ſiliquas IIcccciiii. grana ſive momenta IXccxvi.

Libra in uncias XII. drachmas XCVI ſcriptula CCLXXVIII. obolos DLXXVI. ſemiobolos MCLII. ſiliquas MDCCXXVIII. grana VIDccccxii.

Vncia dividitur in drachmas VIII. ſcriptula XXIV. obolos quadraginta octo, ſemiobolos XCVI. ſiliquas CXLIV. grana DLXXVI.

Drachma in ſcriptula tria, obolos ſex, ſemiobolos duodecim, ſiliquas octodecim, grana ſeptuaginta duo.

Scriptulum in obolos duos, ſemiobolos quatuor, ſiliquas ſex, & grana viginti quatuor.

Obolus in ſemiobolos duos, ſiliquas tres, grana duodecim.

Semiobolus in ſiliquam cum dimidia, grana ſex.

Siliqua in grana quatuor.

His etiam ponderibus veteres Medici ſunt uſi: præſertim veterinarii & Chirurgi.

Mina dividitur in libram & quadrantem: id eſt in uncias quindecim, drachmas centum & duodecim & ſemis: ſcriptula trecenta triginta ſeptem, & ſemis: obolos ſexcentos ſeptuaginta quinque.

Libra in uncias duodecim: drachmas nonaginta: ſcriptula ducenta: obolos quingentos & quadraginta.

Vncia in drachmas ſeptem & ſemiſſem: ſcriptula viginti duo, & ſemiſſem: obolos quadraginta quinq;: reliqua ut ſuperius conſiderantur.

De numerorum veterum æſtimatione comparata ad noſtri temporis precium.

Notandum heic eſt nullũ fere fuiſſe ponderis genus, tam Græcis quam Latinis, quo non vel nummus ſignatus, vel ſumma quædam rei numariæ ſignificetur. Primum igitur de Romanis heic agemus, deinde de Græcis: quæ accommodabimus poſtea ad noſtri temporis rationem.

As ſive libella, ſunt denarioli Mediolanenſes XII. quadrantes IV. denarioli Gallici totidem, & paulo plus.

At cum apud Antiquos legimus millia æris, aſſes pro ære debent intelligi: hoc eſt millia Aſſium.

Ab Aſſe fit decuſſis, hoc eſt decem Aſſes, & centuſſis; id eſt centum Aſſes.

Sextans continet denariolos Mediolanenſes duos,

Quadrans

Quadrans ſive Teruntius, qui & Triuncius dicitur, eſt quarta pars Aſſis; & continet Mediolanenſes denariolos tres.

Triens Aſſis pars tertia, denariolos Mediolanenſes quatuor, ſemis Teruntii ſive quadrantes duos.

Seſtertius & numus idem ſunt: continet Aſſes duos & ſemiſſem: hoc eſt quadrantes decem Mediolanēſes: ſive Germanicos cruciaros duos: Gallica vero æſtimatione Turonicos denariolos decem, & denarioli ſemiſſem: hoc eſt ſolidum regium.

Quamvis numus & numiſma communis eſt appellatio cujuſvis monetæ ſive aureæ, ſive argenteæ.

Denarius valuit Mediolanenſibus Aſſibus decem; hoc eſt quaternis ſeſtertiis: Germanicæ monetæ cruciatos octo, & paulo pluris.

Libra valuit denariis octoginta tribus & paulo pluris: hoc eſt aureis nummis octo, & aurei fere ſemiſſe. Nam denarius Romæ quinta fere parte gravior fuit, quam drachma Athenis.

Libra auri, valuit ſolaribus coronatis Gallicis centum & duodecim fere: major enim fuit, quàm Mina Attica, nam unciæ Romanæ graviores fuerunt unciis Atticis.

Cum autē legimus mille ſeſtertium: & mille ſeſtertium nummum: & mille nummum, & mille ſeſtertii; ea ſignificant unum & idem: id eſt ſunt aurei nummi, ſive coronati ſolares Gallici viginti quinq;.

Seſtertia vero genere neutro & in plurali numero, ſignificant mille ſeſtertios. Cum vero adverbium numeri quopiam his adjungitur, cētena ſunt intelligenda. Decem igitur ſeſtertia ſunt decem millia ſeſtertium, & decies ſeſtertium idem eſt quod decies centena millia ſeſtertium, vel mille ſeſtertia (nos hodie ſummam hanc millionem vocamus) quæ ſumma continet aureorum coronatorum nummum $\overline{\text{XXV}}$. Romani enim mille ſeſtertia, & ab eo reliquos numeros fere per adverbia eloquebantur: Infra mille nunquam.

Aureum nummum intelligimus, qui denis Romanis denariis valeat: hoc eſt libris Mediolanenſibus quinque: quæ fuit æqua ejus æſtimatio, ad quam rationem aut addendo aut detrahendo poſſunt omnia æſtimari.

De nummis bigatis, quadrigatis, & ſerratis, vel umbinis, idem cum denario æſtimari debent: nomen enim ſortiti ſunt à bigis, quadrigis, ſerra, & umbone quibus ſignati ſunt.

Sic & de victoriatis, qui victoriam gerebant: quorum ſinguli quinque Aſſibus Mediolanenſibus valuerunt: hoc eſt batzione Conſtantiēſi.

Atticæ pecuniæ, qua Latini autores uſi ſunt, æſtimatio.

TAlentum Atticum minus valet fere nummis aureis Gallicis, ſive coronatis ſexcētis. Majus autē talentū valuit coronatis octingētis. Mina fere coronatis aureis octo valuit, quatuor enim drachmis minor

fuit, quam libra Romana. Minam semper Latini autores intellexerunt Atticam, & argenteam: quæ valuit drachmis centum.

Drachma Romano denario fuit minor: valebat enim obolis sex: assibus vero fere octo & semisse. Germanicis cruciatis fere septem.

A drachma facta sunt aliquot nummorum vocabula: ut didrachmum, tridrachmum, tetradrachmum: hoc est duarum, trium, & quatuor drachmarum.

Siclus, qui & stater & talentum dicebatur, drachmis valuit quatuor, hoc est tetradrachmo. Siclo usi sunt Hebræi, sicut Græci statere.

Fuit & stater aureus Athenis: sicut fuit Romæ nummus aureus duorum denariorum pondere, qui valebat coronatis duobus.

Obolus cõtinebat denarios Mediolanẽses XVII sive Teruncios quinq; & denariolos fere duos: obolus idẽ est fere, quod Germ. cruciatus.

Cistophorus nummus drachma minor fuit: valebat assibus Mediolanensibus fere sex.

DE ROMANIS LIQVORVM MENSVRIS: QVOmodo majores mensuræ in minores distribuebantur.

CVm de numeris & ponderibus antiquorum tractaverimus superius, non abs re mihi videbitur, hic addere quædam, quæ ex aliis excepi, de mensuris: quę etsi ad nostrum librum inscriptionum non multum faciant, ingratum tamen non fore puto lectori, intelligere & mensurarum antiquarũ rationẽ, nomina, & usum uniuscuiusq;.

Culeus capit amphoras XX. urnas XL. congios CLX. sextarios DCCCCLX. heminas MDCCCCXX. quartarios ⅢDCCCXL. acetabula ⅦDLXXX. cyathos ⅩLDXX. & ligulas ⅩLⅦXXX.

Amphora capit urnas II. congios VIII. sextarios XLVIII. heminas XCVI quartarios CXCII. acetabula CCCXXXIV. cyathos DLXXVI. ligulas MMCCCIV.

Vrna cõtinet cõgios IV. sextarios XXIV. heminas XLVIII. quartarios XCVI. acetabula CXCII. cyathos CCLXXXVIII. ligulas MCLII.

Congius capit sextarios VII heminas XII quartarios XXIV. acetabula XLVIII. cyathos LXXII ligulas CCLXXX.

Sextarius capit heminas II. quartarios IV. acetabula VIII. cyathos XII. ligulas XLVIII.

Hemina capit quartarios duos, acetabula IV. cyathos VI. ligulas XXIV.

Quartarius acetabula duo, cyathos tres, ligulas duodecim.

Acetabulum cyathum cum dimidio, ligulas sex.

Cyathus ligulas sive cochlearia quatuor.

Libra quoque cùm pro mensura ponitur, capit uncias duodecim.

Ligula drachmas tres, & scriptulum unum.

Cyathus sescunciam, drachmam & scriptulum.

Acetabulum uncias duas cum dimidia.

Quartarius quinque uncias.
Hemina novem uncias.
Sextarius viginti uncias.
Congius libras quadraginta.
Amphora libras octoginta.
Culeus mille & sexcentas.

ROMANÆ ARIDORVM MENSVRAE.

MOdius capit duos semodios: acetabula CXXVIII. cyathos CXCII. ligulas DCCLXVIII. sextarios XVI. heminas XXXII.

Semodius sextarios VIII. Heminas XVI, acetabula LXIV. cyathos XCVI. ligulas CCCLXXXIV.

Sextarius heminas duas, & reliqua, ut in liquidis.
Hemina acetabula quatuor.
Acetabulum sesquicyathum.
Cyathus ligulas quatuor.

Veteres quoque usi sunt libra in aridis.

Modius, continet libras viginti, uncias octo.
Semodius, libras tredecim, uncias quatuor.
Sextarius, uncias viginti.
Hemina, uncias decem.
Acetabulum uncias duas cum dimidia.
Cyathus sescunciam, drachmam, & scriptulum.
Ligula drachmas tres, & scriptulum unum.

MENSVRAE LIQVIDORVM APVD GRAECOS.

METretes, cadus, sive ceramius eandem mensuram significant.

Metretes capit choas XII. sextarios LXXII. Cotylas CXLIV. quartarios CCLXXXVIII. oxybapha DLXXVI. cyathos DCCCLXIV. conchas MDCCXXVIII. mystra MMMCCCCLVI. chemas IIIICCCXX. cochlearia VIIIDCXL.

Chus, sive chœus (quem Romani congiũ vocauerunt) capit sextarios VI. cotylas XII. quartarios XXIV. oxybapha XLVIII. cyathos LXVII. cõchas CXLIV. mystra CCLXXXVIII. chemas CCCLX. cochlearia DCCXX.

Sextarius capit cotylas II. quartarios IV. oxybapha VIII. cyathos XII. conchas XXIV. mystra XLVIII. chemas LX. cochlearia CXX.

Cotyla & hemina & trybliom capit quartarios II. oxybapha IV. cyathos VI. conchas XII. mystra XXIV. chemas XXX. cochlearia LX.

Quartarius capit oxybapha duo, cyathos tres, conchas sex, mystra duodecim, chemas quindecim, cochlearia triginta.

Oxybaphum sive acetabulum, capit sesquicyathum, conchas tres, mystra sex, chemas septem cum dimidia, cochlearia XV.

Cyathus capit conchas II. mystra IV. chemas V. cochlearia X.

Concha capit mystra duo, chemas duas cum dimidia, cochlearia V.

Mystrum capit chemen I. & ipsius partem IV. cochlearia II. cum dimidio.

Cheme capit cochlearia duo.
Cochleare eſt menſuræ pars minima.
Concha fuit duplex: major & minor: major æqualis fuit oxybapho, minor ſemicyathum capiebat.
Myſtrum quoq; majus, eſt decima ſexta pars cotyles; penderq; drachmas tres cum dimidia, & quartam drachmæ partem: Myſtrum minus, vigeſima ſecunda pars eſt cotyles: & pendet drachmas duas, ſcriptula duo, ſiliquam unam, & grani undecimas quatuor.
Cheme item duplex fuit: major fuit pars cotylæ vigeſima; pendetque drachmas tres. Minor vero fuit ejuſdem cotylæ pars trigeſima: & pendet drachmas duas.
Ligulæ ſive cochlearia quoq; fuere varia; ſed quod majus fuit cõtinuit XXIV. quod minimum XXX, cyathi partem.

DE IISDEM MENSVRIS: CVM PER vncias & libras æſtimantur.

METretes capit lib. centũ & octo.
Chus libras novem.
Sextarius libram cum ſemiſſe.
Cotyle uncias novem.
Quartari⁹ uncias quatuor cũ dim.
Oxybaphum uncias duas & drachmas II.
Cyathus ſeſcunciam.
Concha drachmas ſex.
Myſtrum drachmas tres.
Cheme drachmas duas, ſcriptulũ unũ, grana quatuor, & quintas grani quatuor.
Cochleariũ drachmã unã, ſcriptulum dimidium, grana duo, & duas quintas.

GRÆCAE ARIDORVM MENSVRÆ.

MEdimnus capit chœnices quadraginta octo: ſextarios LXXII. cotylas CXLIV. oxybapha DLXXVI. cyathos DCCCLXIV. cochlearia VIII. DCXL.
Chœnix capit ſeſquiſextarium: cotylas tres, oxybapha duodecim, cyathos octodecim, cochlearia centum octoginta.
Sextarius capit cotylas duas, oxybapha octo, cyathos duodecim, cochlearia centum viginti.
Cotyle capit oxybapha quatuor: cyathos ſex, cochlearia ſexaginta.
Oxybaphum capit ſeſquicyathum, cochlearia quindecim.
Cyathus capit cohlearia decem.

Ruſticæ Græcorum menſuræ in liquidis.

METretes continet amphoras duas: choas octo, cotylas centum & ſedecim, oxybapha trecenta octoginta quatuor, cyathos quingentos ſeptuaginta ſex, myſtra duo millia trecenta quatuor.
Amphora capit choas quatuor: cotylas quadraginta octo: oxybapha centum nonaginta duo, cyathos dũcentos octoginta octo, myſtra MCLII.

Chus,

Chus capit cotylas duodecim: Oxybapha quadringẽta octo: cyathos ducentos octoginta octo, myſtra mille centum quinquaginta duo.
Cotyle capit oxybapha quatuor: cyathos ſex: myſtra viginti quatuor.
Oxybaphum capit ſeſquicyathum, myſtra ſex.
Cyathus capit myſtra quatuor.

EÆDEM MENSVRAE PER VNCIAM ET LIBRAM.

METretes cõtinet libras CVIII.
Amphora libras LIIII.
Chus libras tredecim cũ dimidia.
Cotyle libram & ſeſcunciam.
Oxybaphum uncias tres & drachmas tres.
Cyathus uncias II. & drachmas II.
Myſtrũ drachmas IV. cũ dimidia.

RVSTICÆ GRAECORVM MENſuræ in aridis.

MEdimnum capit modios Romanos ſex: ſemimedimna duo. Tertiarios tres. Sextarios ſex, ſemiſextarios duodecim, ſemiduodecimas viginti quatuor, chœnicas quadraginta octo, cotylas centum quadraginta quatuor, oxybapha quingenta ſeptuaginta ſex, cyathos octingentos ſexaginta quatuor, myſtra tria millia quadringenta quinquaginta ſex.

Semimedimnum, capit tertiarum cum dimidio, ſextarios tres: ſemiſextarios ſex, ſemiduodecimas duodecim, chœnicas viginti quatuor, cotylas ſeptuaginta duas, oxybapha ducenta octoginta octo, cyathos quadringentos triginta duos, myſtra mille ſeptingenta viginti octo.

Tertiarius medimni capit ſextarios duos: ſemiſextarios quatuor: ſemiduodecimas octo, chœnicas ſedecim, cotylas quadraginta octo: oxybapha centum nonaginta duo, cyathos ducentos octoginta octo, myſtra mille centum quinquaginta duo.

Sextarius capit hic ſemiſextarios duos, ſemiduodecimas quatuor, chœnicas octo, cotylas viginti quatuor, oxybapha nonaginta ſex, cyathos centũ quadraginta quatuor, myſtra quingẽta ſeptuaginta ſex.

Semiſextarius, capit ſemiduodecimas duas, chœnicas quatuor, cotylas duodecim, oxybapha quadraginta octo, cyathos ſeptuaginta duos, myſtra centum octoginta octo.

Semiduodecima medimni pars, capit chœnicas duos: cotylas undecim, oxybapha viginti quatuor, cyathos triginta ſex, myſtra CXLIV.

Chœnix, capit cotylas tres: oxybapha duodecim: cyathos octodecim, myſtra ſexaginta duo.

Cotyle, capit oxybapha quatuor, cyathos ſex: myſtra viginti quatuor.

Oxybaphum capit ſeſquicyathum, myſtra ſex.

Cyathus capit myſtra quatuor.

In his omnibus menſuris habenda eſt ratio rerũ, quas metiri volumus. Nam vinum oleo nona parte gravius eſt: & mel vino tertia fere parte: aqua pondere ad vinum proximè accedit. Et in his quæ puriora ſunt, impuris & feculentis ſunt leviora.

In aridis etiam hordeum gravius eſt avena: far hordeo: triticum farre: quinetiam triticum aliquod tritico gravius reperitur: atq; item in aliis.

Culeus igitur oleo plenus, pendet libras mille quadringentas triginta & tres, & uncias quatuor.

Culeus mellis, pendet libras MMCCCXXII. uncias duas, drachmas quinque, ſcriptulum unum.

Culeus vini, pendet libras mille quadringentas octoginta unã, uncias quinque, drachmas ſex, ſiliquas quatuor.

Ligula plena oleo, pendet drachmas duas, ſcriptula duo, ſiliquas duas.

Ligula olei, pendet drachmas tres, ſiliquam unam, grana duo, & duas nonas grani.

Ligula mellis, pendet drachmas quatuor cum dimidia, ſiliquas duas, granum unum, & tertiam grani partem.

ATTICÆ MENSVRAE QVIBVS MEdici interdum ſunt uſi.

Metreta plena oleo, pendet libras centum & viginti.

Metreta vini, pendet libras centum.

Metreta mellis, pendet libras centum & quinquaginta.

Cyathus olei, pendet unciam unam, drachmas duas.

Cyathus vini, unciam unam, drachmas tres, ſiliquas duas.

Cyathus mellis, uncias duas & ſcriptula duo.

GEORGICAE, ideſt Ruſticæ menſuræ.

Metretes cum Attico idem eſt, & cum omnibus.

Amphora olei pendet libras quadraginta quinque.

Amphora vini pendet libras quinquaginta.

Amphora mellis libras ſeptuaginta quinque.

Chus olei, pendet libras XI. & uncias tres.

Chus vini, libras XII. cum dimidia.

Chus mellis libras XVIII. & uncias IX.

Cotyle olei continet uncias novem & drachmas duas.

Cotyle vini, libram unam & drachmas quatuor.

Cotyle mellis, ſeſquilibram & drachmas ſex.

Oxybaphum olei, pendet uncias duas, drachmas ſex cum dimidia.

Oxybaphum vini, pendet uncias tres, & drachmam unam.

Oxy-

Oxybaphum mellis, vncias quatuor, & drachmas quinq; cum dimidia.
Cyathus olei, pendet vnciam vnam & drachmas ſeptem.
Cyathus vini, vncias duas, & ſcriptula duo.
Cyathus mellis, vncias tres, & drachmam vnam.

MENSVRÆ ALIÆ QVÆ MEDICIS quoque in vſu fuerunt.

Cotyle olei, proportione ſuper tertia ad Atticam, pendet vncias decem. Vini, vncias vndecim, ſcriptula duo, obolum vnum, ſiliquam vnam. Mellis libram vnam, vncias IIII. drachmas V. ſcriptulũ vnum.
Oxybaphum olei, pendet vncias quinque; Vini vncias quinque cum dimidia, ſcriptulum vnum, ſiliquas duas. Mellis vncias VIII. drachmas II. ſcriptula, II.
Cyathus olei pẽdet vnciam vnam, drachmas quinque, ſcriptulũ vnum. Vini, vnciam vnam, drachmas ſex, ſcriptula duo, ſiliquas duas, grana duo, & duas tertias grani. Mellis, vncias duas, drachmas ſex, obolum vnum, & ſiliquam vnam.
